NICOLAI VERNVLAEI

Hiſtoriographi Cæſarij, Regijq́ue, & Profeſſ. publici Lovanii,

HISTORIA AVSTRIACA,

GENTIS

AVGVSTISSIMÆ, SERENISSIMÆ, AC POTENTISSIMÆ

ARCHIDVCES, REGES, IMPERATORES

breviter complexa.

Nunc primùm typis edita.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LOVANII,

Typis HIERONYMI NEMPÆI, Anno 1651.

PER-ILLVSTRI,

& admodum Reverendo,

D. FRANCISCO

IOANNI DE ROBLES,

E COMITIBVS d'ANAPPES,

DOMINO d'ESCOVT SAINCT-MAIN,

S.R.E. PROTONOTARIO,

Ad D. Petrum Lovanij

PRÆPOSITO,

ACADEMIAE CANCELLARIO,

ET PRIVILEGIORVM EIVSDEM

CONSERVATORI,

SERE-

SERENISS. PRINCIPIS

LEOPOLDI

GVILIELMI

ARCHIDVCIS AVSTRIAE &c.

Magno Eleemoſynario,

ET ORATORII REGII

ARCHI-CAPELANO.

NICOLAVM VERNVLAEVM, dum in humanis adhuc ageret, quanti fecerint, quotquot in Academia Lovanienſi politioris litteraturæ ſtudia ſectabantur, recens ſpiranſq; etiamnum memoria eſt. Eminebat ille in omnibus, quæ quidem comitari & illuſtrare ea ſtudia ſolent, ſive artis

ſuæ,

e, ſcientiæque, quam profiteba-
, principia traderet, ſive ſolûtâ li-
taque numeris oratione quidpiam
ibere: cujus rei teſtimonium lu-
lentum præbent ingenij monu-
enta, quæ poſteritati plura reli-
iit, pleraque ad profectum utilita-
mque litteratæ Iuventutis conſcri-
a, Oratoria, Poëtica, Hiſtorica.
am & de rebus cùm ſacris, tum
ofanis ac politicis, diſſerere vel
ſe identidem ſolebat, ejuſve ſtilo
que oratione diſcipuli, quos for-
abat: deque materijs varijs Tra-
œdias plures compoſuit,& publicè
hibuit, quo in genere eidem Aca-
emici omnes palmam præ cæteris
eferebant. Hiſtoriam verò veterem
otiſſimùm ita tractare conſuevit,
t ſimul & ad Politicam ſcientiam,
rtemque regendi atque admini-

ſtrandi Rempubl. viam ſterneret.
Nam ad hunc ſcopum collimant
Inſtitutiones in primis Politicæ, il-
luſtrium Scriptorum Teſtimonijs,
Exemplis ac Documentis inſtru-
ctæ: ut & Ethicæ atque Oeconomi-
cæ, pari apparatu adornatæ. Sed ne-
que recentioris ævi Hiſtoriam inta-
ctam reliquit. Et cùm in vna Augu-
ſtiſſima ac Sereniſſima Domo Au-
ſtriaca Virtutes omnes vel maximè
eluceant, emineantque; cùm una il-
la ſit, quæ latiſſimè imperando in
omnibus ſuis Regnis ac ditionibus
numquam ſolem videt occidenté, ut
hanc eius potentiam adeoq; & zelum
pro tuenda retinendáque Religione
Catholico-Romana, ferre nequeant
æmuli, quaſi ſolo obtentu Religio-
nis ad Orbis univerſi dominatum
adſpiret, Imperium Romano-Ger-
mani-

anicum cogitet efficere hæredita-
um & Auſtriacum: ut hanc ab ea
vidiam amoliretur *D. Vernulæus*,
POLOGIAM ſcripſit *pro Auguſtiß.*
ente Auſtriaca, quâ illius Magnitu-
, Imperium, Virtus, adverſus ejus
c tempore æmulos adſeritur, de-
ue VIRTVTIBVS ejuſdem Gen-
. Sed & HISTORIAM reliquit
VSTRIACAM, ut à morte extaret
onumentum, quo affectum ſuum
eamdem Potentiſſ. Familiam
tenderet. Puſillum quidem opus,
magnitudinem & molem ſpe-
es, ſed quod & ab Auctore, & à
ateria, quam tractat, ab Heroi-
us, inquam, Auſtriacis, qui eo
lebrantur ac deſcribuntur, imò &
Nomine Tuo, *Per-Illuſt. & Admod.*
ev. Domine, cui illud dicare viſum
t, pondus aliquod accipiet. Spe-

ro enim hunc ſuccedaneum quodammodò fœtum libelli nuper Sereniſſ. Principi LEOPOLDO GVILIELMO inſcripti, & per Te oblati, de eadem Auſtriaco-Habsburgica Familia, *Hieron. Gebuilero* auctore, Tibi fore non ingratum. Quod ſupereſt, illud etiam atque etiam rogo, ut hunc conatum meum æqui boniq́ue conſulere digneris. Ego verò, quando aliud non poſſum, votis precibuſq́ue apud Deum O. M. pro ſalute, ac longæva vita Per-ill. V. G. intercedere non deſinam. Lovanij IX. Kal. Octob. CIↃ. IↃC.LI.

Per-Ill. & admodum R.

V. G. Cliens

HIERON. NEMPÆVS, Typogr.

NICOLAI VERNVLAEI

HISTORIA AVSTRIACA.

CAPVT I.

Auſtriæ regionis deſcriptio.

AVSTRIA unicus totius Europæ Archiducatus, ab Oriente Hungariam habet; à Meridie Styriam, ab Occidente Bavariam, à Septemtrione Moraviam. Dividitur in Superiorem & Inferiorem. Superior eſt, quæ inter Danubium & Styriam, ſeu quæ cis Danubium eſt. Inferior eſt, quæ inter Danubium, Bohemiam & Tejam flumen, ſeu quæ ultra Danubium. Fuit olim tota hæc regio ſuperioris Pannoniæ pars: ab ea deinde divulſa novum nomen accepit. Nomen illi non ab auctore aliquo, ſed ab Orientali mundi cardine. Quippe tempore Caroli Magni Cæſaris, dici cœpta eſt Ooſtenreichia, quod Orientale Regnum ſonat, ſeu Marchia, finis nimirum Orientalis. Vulgò tandem Auſtria, quod nomen ei manſit manetque. Latitudo ejus trium dierum itinere pedeſtri patet, longitudo ſex. Mediam ſecat Danubius, & quidem Superio-

rem ad Meridiem, Inferiorem ad Septemtrionem relinquens. Alij plures fluvij ab utraque parte in Danubium influentes, eam irrigant. In ea vinum generoſum, frumenta ac legumina omnis generis; ligna, piſces, majora minoraque pecora; ac denique tanta rerum pænè omnium abundantia, ut vicinis provincijs largè ſuppeditet, ſuos incolas divites efficiat. Atque idcircò hi nonnunquam animis elati & felicitate ſuâ inſolentes laſcivierunt, perque ſeditiones intempeſtivas non exiguam ſibi calamitatem accerſiverunt. Suæ ſic aliquando felicitati pœnas dederunt. Nec immeritò quidam Auſtriam alterum Adami, primi hominum conditoris, hortum appellant. Vtriuſque Auſtriæ Metropolis eſt Vienna, urbs magnifica ac ſplendida, validiſsimum contra Turcarum incurſiones munimentum. Dictam olim putat Otto Friſingenſis Flavianam, unde, demptâ poſtmodum primâ ſyllabâ, Viana ſeu Vienna nomen. Lazius Juliobonam apud Ptolomæum eſſe áſſerit, alij Vindonianam ſeu Vindobonam. Muri circa eam excitati ſunt anno milleſimo ducenteſimo Richardi Angliæ Regis ſumptu, cùm à Leopoldo Auſtriæ Duce ex Aſia redux captus eſſet. Circa annum autem milleſimum ducenteſimum trigeſimum ſextum ſub Frederico Secundo Cæſare facta Imperialis pro inſignibus

xtulit Aquilam auream bicipitem, coronatamque in campo nigro. Eodem anno Academiam ccepit, ad Scholæ Pariſienſis normam. Verùm nnos quatuor tantùm ſub imperio fuit, ad poeſtatem Auſtriacorum mox devoluta. Et hi llam ita evexerunt ornaruntq; , ut hodie commune quoddam ſit diverſorium Germanorum, talorum, Hungarorum, Polonorum, Bohemoum, Sclavorumq;, & aliorum In hac urbe turis Divi Stephani ſexaginta annnorum opus eſt. Cùm enim anno ſupra milleſimum treceteſimo quadrageſimo jacta eſſent ejus fundamenta, exageſimo demùm pòſt anno abſoluta perfectaque fuit. De alijs Auſtriæ urbibus nihil attiet in hac Hiſtoria dicere.

CAPVT II.

De primis Incolis ſeu Habitatoribus Auſtriæ.

PRiſcis temporibus hanc regionem inhabitarunt Pannones & Sarmatæ, à Pæonibus Græcis, ut quidam exiſtimant, oriundi. Deinde am Romani tenuerunt, qui fines ſui Imperij ſic habuerunt. Tum Hunni, qui pulſis Romais maximam Pannoniæ & Sarmatiæ partem ccuparunt, in eaque novum regnum condide-

runt. Hos denique Carolus Magnus Imperator Occidentis devicit domuitque, ac ſuperiore Pannoniâ exuit, ibidemque Orientalis regni limitum cuſtodes ſeu præfectos conſtituit. Verum, exſtincto Carolo Magno, cùm Hunni partem adhuc Pannoniæ retinentes in Germaniam excurrerent ſævirentque, factâ tandem cum ſequentibus Cæſaribus pace, regnum, quod nunc Hungaria dicitur, ijs relictum eſt, & ipſi Ooſtenreichiâ ſeu Auſtriâ ceſſerunt. In eam verò miſſæ Germanorum Chriſtianorum Coloniæ, ijſque permiſſum oppida Hunnorum inhabitare, agros colere, arces erigere, civitates condere; quod jam antea Carolus Magnus conceſſerat. At Hunni non diu pacem ſervârunt. Cumque Germani vel inter ſe, vel cum Italis de ſummâ rerum dimicarent, in Auſtriam rurſus involarunt, donec ab Ottone Primo Cæſare, ejuſque ſucceſſoribus, cladibus ingentibus ſæpius affecti in ſuam Pannoniæ partem ſeſe receperunt. Hæc tamen Auſtriæ occupandæ libido vix ſatis umquam in ijs exſtincta fuit, duravitque ad annum uſque Chriſtianum milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum quintum, & quod excurrit. Tunc enim Matthias Corvinus Hungariæ Rex Joannes Hunniadis filius, pulſo Frederico Tertio Auſtriæ Archiduce, majorem Auſtriæ partem occupavit, Viennaque quinquennium habitavit, neque eo vivo recuperari Auſtria

ſtria potuit. Obijt anno ſupra milleſimum quadringenteſimum nonageſimo. Maximilianus Frederici filius, confectis feliciter in Belgio contra Gallos bellis, eamdem Auſtriam cum Metropoli Viennâ recepit, expugnataque Albâ Regali partem Hungariæ in poteſtatem ſuam redegit. Quod reliquum ejus Regni eſt, Turcæ occuparunt, ut ſic in interiorem Germaniam iter ſibi aliquando pararent. Religionem Chriſtianam paulatim Hunni ſeu Hungari admiſerunt, ſeque intra limites ſuos continuerunt.

CAPVT III.

De Marchionibus Auſtriæ Babenbergicis.

QVieſcentibus utcumque Hunnis ſeu Hungaris, Otto Primus Imperator utrique Auſtriæ Comites à Buchorn, Scalâ, ac Bloſia præfecit. Et quidem factæ ſunt hæreditariæ in iſtis Familijs Præfecturæ. Quippe in ijs ab Ottone Tertio confirmati ſunt Comites, & Cæſari clientelare ſacramentum dixerunt. Præfuerunt autem diverſis Auſtriæ locis, trecentis triginta circiter annis, iſtæ Familiæ, ad adventum uſque Babenbergicorum. Eminebat inter eas potiſſimùm Bloſia, quæ Viennæ ſedem habens, latè

circumquaque oppidis & arcibus exſtructis, Comitis titulo imperabat. Sed exſtinctis tandem Familijs iſtis, aut cùm reſiſtere graſſantibus iterum Hungaris non poſſent, Henricus Auceps Imperator Alberto & Leopoldo Babengergenſibus Auſtriam cum Marchionis titulo donavit. Et hi poſtquam clientelare ſacramentum Cæſari præſtiterunt, ab Auſtriacis recepti ſunt & inaugurati. Duxerunt illi è Principum Familijs uxores, verùm Leopoldus ſine liberis è vivis exceſſit; Albertus filium unum Leopoldum reliquit, à quo Marchionum Babenbergicorum initium ducemus, & ei reliquos ſubjungemus.

LEOPOLDUS igitur primus Auſtriæ Marchio, cognomento *Illuſtris*. Hic cum Alberto patre inſignes de Hungaris victorias, ut erat vir bellicoſiſſimus, reportavit, atque inde Illuſtris dictus. Arcem Melcanam, quam Cuſpinianus Melicum vocat, Hungaris eripuit, in eaque Canonicorum duodecim Collegium erexit. Duxit Richardam uxorem, Henrici Aucupis Imperatoris ſororem, propter quam gratiâ & auctoritate apud eum plurimum valuit. Præfuit Auſtriæ annis quinquaginta quinque, ac ſuperato interfectoque Giſone Hungarorum Duce tandem obijt. Sepultus eſt in Arce Melcana cum uxore. Ejus tempore Auſtriaci pro gentilitio in Clypeis ſigno tres aurei coloris alaudas

alaudas ferebant, idque à decima Legione Romanorum, quæ Alaudarum dicebatur, fortè ut virtutis illius, quâ Romanos ijs in locis ſuperaverant, memoria exſtaret Filios duos reliquit, Henricum ſibi in Marchionatu ſucceſſorem, & Popponem apud Treviros Epiſcopum.

HENRICVS I. Marchio Auſtriæ ſecundus, cognomento *Rebellis* appellatus, quòd obedire Imperio Romano recuſâret, donec eum Henricus Secundus Cæſar ad obedientiam præſtandam redegit. Vxorem habuit Swenhildem Nobiliſſimæ ſtirpis matronam, ex qua Albertum ſucceſſorem ſuum, & Erneſtum Sueviæ Ducem ſuſcepit. Fuit vir juſtus, ſeverus & religioſus. Ejus tempore Divus Colomannus, ex ſanguine Regum Hiberniæ, dum in terram Sanctam contenderet, Ripenſi in oppido martyrio affectus eſt, cujus corpus, cùm Henricus Marchio intellexiſſet octodecim menſibus ex arbore ſuſpenſum manſiſſe incorruptum, ac pari temporis ſpatio in terra conditum nequaquam tabefactum, juſſit effodi, & in Arcem ſuam Melcanam transferri, ſplendidoque & eleganti ſepulchro condecorari, ubi à vicinis incolis magnâ religione colitur. Caput tamen ejus in Alba Regali traditur adſervari. Obijt Henricus Marchio immaturâ morte, cùm præfuiſſet Auſtriæ annis triginta quinque, ſepultus cum

Vxores apud parentes in Arce Melcana.

ALBERTVS Auſtriæ Marchio tertius, quem alij Adelbertum vocant, patri Henrico ſucceſſit. Vxorem duxit Adelheidem, Petri Hungarorum Regis ſororem, ex ſtirpe Caroli Magni oriundam, ex quâ duos filios habuit, Leopoldum, qui propter multa ſingularis fortitudinis facinora cognomen *Fortis* obtinuit; ſed inopinatâ morte in Ingelhaim in nuptijs Henrici tertij, magno Nobilium omnium luctu, è vivis exceſſit. Poppo ejus patruus cadaver Treviros tranſtulit. Erneſtum alterum filium ſucceſſorem habuit. Bellum Albertus Hungaris movit propter ſocerum ſuum Petrum Regem ab ijs regno ejectum, poſtea verò receptum, ſed excæcatum. Et quoniam multas de Hungaris victorias retulit, dictus eſt *Victorioſus*. Rexit annos ſex, ſepultus in Arce Melcana, cum conjuge, anno milleſimo, quinquageſimo ſexto. Duxerat ſecundam uxorem Freſvillam, ex qua liberos nullos ſuſcepit.

ERNESTVS cognomento *Strenuus*, quartus Auſtriæ Marchio, Alberti filius. Hungaros in Auſtriam incurrentes, & in vicinas ultrà regiones, fortiter repulit, & ſtrenuè multis cladibus affecit. Inde illi Strenui nomen. Ob id etiam Henricus quartus Imperator eum Romani

Imperij Priorem appellavit, & multis privilegijs donavit: inter quæ illud fuit, teſte Cuſpiniano, ut illi ejuſque ſucceſſoribus vacuus vaginâ gladius per totum Imperium præferretur. Ferunt eum in ſuam Arcem Melcanam intuliſſe ferrum lanceæ Divi Mauritij, cum aliquo Crucis Sanctæ Ligno, & paterâ Divi Vdalrici, Epiſcopi Auguſtani. Cùm autem Henricum Imperatorem ad bellum Saxonicum comitatus eſſet, apud fluvium Miſtrau occubuit anno milleſimo, ſeptuageſimo quinto. Reliquit duos filios, Leopoldum & Albertum. Rexit annis novemdecim admodum feliciter. Vxor illi fuit Agnes, filia Rudolphi Haſpurgij Comitis Rynefeldij, quam Cuſpinianus Mecthildim appellat. Cum ea ſepultus ipſe in Arce Melcanâ.

LEOPOLDVS quintus Auſtriæ Marchio, Erneſti filius, ob corporis elegantiam & proceritatē cognomento *Pulcher*, patri ſucceſſit. Cùm Auſtriam infeſtarent Vratiſlaus Bohemiæ Rex & ejus frater Chunradus Moraviæ Marchio, eos, obviam progreſſus, fortiter cæcidit. Iterum cùm Bohemi Bavarique inito fœdere ad vaſtandam Auſtriam progrederentur, conſertis ad Danubium manibus eos profligavit, in eoque prælio Cononis Palatini Comitis filius cæſus fuit. In ejus auxilium Poppo Trevirenſis

Antiſtes

Antiſtes Azonem cùm ingentibus copijs miſè-rat, quem apud ſe Leopoldus propter res præ-clarè geſtas retinuit. Fuit & illi magna cum Alberto fratre contentio, quæ cùm in arma prorupiſſet, ab Imperatore Henrico compoſita fuit, concordiaque inter fratres conſtituta. Hic Leopoldus, Canonicis Melcanæ Arcis propter laſciviorem vitæ modum ejectis, Religioſos Benedictinos inſtituit. Vxor illi fuit Ida Henrici Tertij Cæſaris filia, ex qua filios duos ſuſcepit, ac poſtquam Auſtriæ annis uno & viginti præfuit, in tumulum majorum ſuorum illatus eſt, anno milleſimo nonageſimo ſexto.

LEOPOLDVS Auſtriæ Marchio ſextus, filius Leopoldi quinti Marchionis, quem *Pium* ob ſingularem in egenos liberalitatem dixêre. Quippe à primis annis in hanc virtutem incubuit; poſtea in oppreſſos ſemper clementiſſimus, in feroces juſtiſſimus fuit. Adeò ut ex omnium votis Marchionatum ſuſceperit, & pauperum pater ſit dictus. Erat ejus tempore atrox bellum inter Henricum Quartum & Henricum Quintum filium Cæſares. Patrem Pontifex anathemate percuſſerat, ſed filius contra naturæ legem patri inſidiabatur. Leopoldus interim patrem ſequebatur, eidemq; Bohemiæ Rex adhærebat. Sed ut hos alioſque à patre filius divelleret, filiam ſuam Agnetem illi uxorem

pro-

miſit, qui à patre deficeret. Erat illa eo tem- re formoſiſſima, & virtutum omnium orna- entis condecoratiſſima. Hanc ut obtineret eopoldus, relicto patre, filium eſt ſecutus, qui atrem imperio cedere coëgit; & hic Leodi- m ſe conferens ibidem mœrore extinctus eſt, ſuis pænè omnibus derelictus. Paulò pòſt Leo- oldus Stephanum Secundū Hungariæ Regem, prælio congreſſus, cedere Auſtriâ compulit, & militarem baltheum ob ſingularem fortitu- dinem accepit. Iterùm poſtea Hungaros apud Leitam fluvium glorioſiſſimè profligavit. Ve- rùm cùm uxor ejus Agnes quotidie parentis mortem defleret, & cadaver ejus in Germaniam relatum impius filius ante veſtibulum Spirenſis templi inhumatum relinqueret, (quòd diris Pontificijs devotus eſſet Cæſar,) pœnituit Leo- poldum, quod à patre ad filium defeciſſet, utque hoc delictum expiaret, de condendo cœnobio cum uxore conſilium inijt. Locus miraculo de- ſignatus fuit. Nam cùm Agnes è feneſtra Arcis cum marito in Danubium proſpiceret, flammeo- lū ejus ſubitus ventus è capite abripuit in proxi- mam ſylvam. Illud verò cùm longo pòſt tem- pore Leopoldus inter venandum reperiſſet, & ad uxorem lætus incorruptū retuliſſet, locum illum, divinitus ædificando cœnobio deſignari ambo dixêre. Ædificatur, vectigalibus plurimis & ampliſſimis ornatur, Canonicis ſæcularibus tra- ditur,

ditur, quorum præpoſitus primus Otto ejuſdem Leopoldi filius fuit. Additum cœnobio nomen Novumburgum, ſeu Neoburgum. Plura templa cœnobiaque pius Princeps exſtruxit, quædam ruinã minitantia reſtauravit. Ex Agnete uxore liberos octodecim ſuſcepit, ex quibus undecim poſt ejus mortem ſuperſtites fuêre. Cùm regnaſſet annos quadraginta, ſummâ integritate, clementiâ, & pietate, ultimum vitæ diem XVII. Cal. Decemb. an. M.C.XXXVI. clauſit, Neoburgi ſepultus. Poſt annos deinde trecentos quadraginta novem, ſollicitante Maximiliano Cæſare & Archiduce Auſtriæ, in Divorũ numerum ab Innocentio VIII. Pontifice relatus, & an. M.D.V. ſacrum ejus corpus è terra eductum eſt Colitur Neoburgi, in Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis.

LEOPOLDVS Divi Leopoldi & Agnetis tertius filius, Auſtriæ Marchio ſeptimus, cognomento *Largus*, parentis teſtamento Auſtriam accepit, ſenioribus fratribus ſuis antepoſitus. Hunc Conradus Tertius Cæſar Bavariæ Ducem renuntiavit, cùm Bavariam eripuiſſet Henrico Superbo Duci propter rebellionem. Inde longum Leopoldo bellum & atrox fuit cum Guelphone Henrici Superbi fratre, qui eo mortuo Bavariam jure hæreditario repetebat. Ab utroque vaſtata ea provincia miſerè fuit. In ea verò cùm ægrotare cœpiſſet Leopoldus, ibidem

n obijt anno M. C. XLII. Relatum in Auſtri-
ı corpus, in Cœnobio S. Crucis, quod ipſe
xerat locupletaratque, conditum eſt. Vxorem
ıxerat Mariam Sobieſlai Ducis Bohemiæ, ſo-
rem & Vladiſlai Regis filiam, quæ nullos illi
beros peperit.

CAPVT IV.

De Ducibus Auſtriæ.

HENRICVS Secundus Divi Leopoldi filius ſecundo genitus Leopoldo Largo fratri ſuo juniori in Marchionatu Auſtriæ & Ducatu Bavariæ ſucceſſit, dictus *Ia ſuner Gott, Ita me Deus amet*, quòd hæc verba illi frequenter in ore eſſent. Huic Ducatum Bavariæ poſt fratris obitum confirmavit Conradus Tertius Cæſar, & quia illum in Saxoniam comitatus fuerat, uxorem illi adjunxit Gertrudem Lotharij Imperatoris, Saxonum Ducis filiam, Henrici Superbi viduam, quæ ſecundo poſt nuptias anno ſine liberis è vitâ exceſſit. Cùm autem cum eodem Conrado & Ludovico Franciæ Rege, alijſque Chriſtianis Principibus, in terram ſanctam profectus eſſet, inde reverſus Theodoram Emanuelis Imperatoris conſanguineam uxorem accepit. Verùm, cùm tunc iterum Hen-

ricus

ricus Junior Saxoniæ Dux Bavariam hæreditario jure repeteret, Fredericus Primus Imp. Barbaroſſa dictus, qui Conrado ſucceſſerat, ut controverſiam iſtam dirimeret, conſilio & aſſenſu congregatorum Ratisbonæ Imperij Principum, Bavariam Henrico Saxoniæ Duci eâ lege adjudicavit, ut provinciam ſupra Onaſum fluvium Henrico Auſtriæ Marchioni cederet. Hunc inſuper, ne quam honoris ſui jacturam pateretur, Auſtriæ Ducem renuntiavit, multis privilegijs & immunitatibus donauit, pileoque Ducali roſtrato inſigniri voluit. Inde Archidux, ut Cuſpiniano placet appellatus poſtea fuit. Erat ipſe bellicoſiſſimus, fortiterque Hungaris, Bavaris, Bohemis ſæpè reſtitit, & congrediendo cum illis victor evaſit. In obſidione Mediolanenſi multas rebellibus clades intulit. Geyſæ ſecundi Hungarorum Regis exercitum bis ad Leitam profligavit; Guelphonem Bavarum aliquoties in fugam vertit; Sobeſlaum Bohemiæ Regem bello attrivit. Vt ditionem ſuam extenderet in Ottocarum Styriæ Marchionem arma convertit. Plura alia bello ſummâ cum laude patravit. Aulam ſuam eo in loco Viennæ conſtituit, ubi hoc tempore Carmelitæ Religioſi; unde adhuc illi loco nomen Curia. Sed & nominis ſui famam pijs operibus extendit. Parentis enim ſundationem ad S. Crucem auxit. Cœnobium Scotorum Divæ Mariæ & S. Gre-
gorio

gorio Viennæ dicavit, & vectigalibus locupletavit. Obijt ex vulnere, cùm ex equo in glacie improvidè delapſus eſſet, Cal. Febr. anno M. C. LXXII. Ex Theodora conjuge duos reliquit filios, Leopoldum ſucceſſorem ſuum, & Henricum; filiam unam Agnetem, quæ Stephano Hungarorum Regi nupſit. Sepultus ipſe apud Scotos Viennæ.

LEOPOLDVS Auſtriæ Dux ſecundus, poſt patris obitum in Ducatum ſucceſſit; dictus *Virtuoſus*. Erat annos tantùm viginti natus, ſed tantâ felicitate rexit, ut patriæ pater ſit appellatus. In Jtaliam ad Fredericum Imp. an. M. C. LXXVII. contendit, & in arce non procul à Piſauro Ducatus Auſtriæ feudum, adſtantibus Jtalis & Germanis, ab eodem accepit. Reverſus in Auſtriam Bohemos, qui Auſtriam Tranſdanubianam infeſtabant, ſuis copijs in fugam convertit. Porrò quia Princeps erat admodum religioſus, in terram ſanctam cum multis Principibus alijs ſub Clemente III. Pontifice profectus fuit, indeque magnam S. Crucis partem ſecum retulit, quam in cœnobio S. Crucis depoſuit. Nec contentus unâ illâ expeditione, cùm Chriſtiani urbem Acconem in Syriâ obſiderent, eò rurſus contendit, & obſeſſos tantâ virtute cum ſuis invaſit, ut totum ejus corpus, Cuſpiniano teſte, ſanguine maduerit, unâ ex-

ceptâ

ceptâ parte, quâ militare cingulum laterâ ejus tegebat. Vel, ut alij volunt, ſericum inſigne, quod ſiniſtrâ cùm clypeo tenebat, tum ipſius, tum hoſtili ſanguine ita infectum fuerit, ut nihil purum, niſi quod manu tenebat, permanſerit. Vt hujus rei memoria exſtaret, conſentiente Cæſare, gentilitia, relictis Alaudis, inſignia mutavit, ita nimirum, ut ſuperior inferiorque Clypei pars rubra eſſet, media æquâ proportione alba. Quæ cùm in una expugnatæ urbis turri expoſuiſſet, Richardus Angliæ Rex ejuſdem expeditionis ſocius, Leopoldo captæ urbis gloriam invidens, deijci curavit. Verùm cùm hic Rex per Auſtriam in patriam ſuam reverteretur, ac prope Viennam mutato habitu in hoſpitium quoddam divertiſſet, admonitus Leopoldus, capi eum juſſit, cùm fortè in ligneo veru carnes ſuâ manu aſſaret. Jubebat Cæſar eum in libertatem adſeri, & Pontifex proſcriptionem minabatur; non priùs tamen liberari potuit, quàm pecuniæ vim ingentem perſolvit, quâ Leopoldus Viennam muro cinxit ac Styriæ Ducatum, Lintzijque & Welſij Comitatum certo ſibi pretio comparavit. Hæc, quæ dixi, Munſterus propter bellum Prutenicum eveniſſe ſcribit. Tandem Leopoldus in Styria, cùm ex Arce Grætio deſcendens equi lapſu ſibi femur rupiſſet, impatiens doloris Auſtriâ & Styriâ filijs relictâ, in monaſterio reliquum

iquum vitæ peregit. Erant illi filij, Frederi-
& Leopoldus, unaque filia Cunegundis ex
lena, (alij Geiſa) Belæ Hungarorum Regis
a. Obijt anno M. C. XCIV.

FREDERICVS Auſtriæ Dux terti-
dictus cognomine *Catholicus*, quòd Catholici
Chriſtiani nominis hoſtibus intenſiſſimus
et, & in eos arma ſemper ſtringeret. Expe-
ionem in Hiſpaniam cum quibuſdam Princi-
bus alijs ſuſcepit; ut Barbaros ex Africâ eò
ofectos, qui Chriſtianis cladem intulerant, &
ſſim omnia vaſtabant, profligaret. Ijs verò
rtim cæſis, partim ejectis, cùm rediiſſet, ab
nperatore Henrico Sexto cum multis alijs
alliæ Germaniæque Principibus charactere
rucis inſignitus fuit., & adverſus Sarracenos
iſſus. Trajecto igitur mari Hieroſolymam
ſpes appulit, ubi virtutem ſuam plurimis egre-
js facinoribus probavit, & Sarracenis terrori
it, donec altero ab expeditione ſuſceptâ annò
lversâ valetudine correptus fatis conceſſit an.
.C. XCVIII. Rexit ſex annis dumtaxat, nec
njugem, nec liberos ullos reliquit, cùm cœ-
bs vixiſſet. Ejus corpus in Auſtriam relatum
l S.tam Crucem conditum eſt,

LEOPOLDVS dictus cognomine *Glo-
ſus*, Frederici Catholici frater, in Ducatum

Auſtriæ & Styriæ eidem ſucceſſit. Princeps fuit ſubditis ſuis cariſſimus, quos & ipſe vehementer amavit ac plurimis privilegijs donavit. Viennæ palatium ſuum habuit, & Burgum, ut appellant, Regijs ædificijs exornavit; Henrici autem primi Dúcis Auſtriæ palatium Carmelitis ceſſit. Duxit uxorem Theodoram, Alexij Conſtantinopolitani Imperatoris expulſi conſanguineam, unde illi etiam ſuppetias tulit. Paucis annis pôſt in terram ſanctam contendit, quòd ita perſuaſum eſſet Auſtriæ Ducibus, eum verè bonum & Chriſtianum militem non eſſe, qui terram iſtam non adiret. Tantus erat in Chriſtianam religionem fervor & zelus. Inde quoque magnam S. Crucis partem retulit. Perrexit in Hiſpaniam quoque, cùm eò ex Africâ Sarracenos tranſiviſſe intellexiſſet, ac cum ijs in Gallia pugnando victor evaſit triumphavitque. Reverſus in Auſtriam, cœnobium, cui nomen *Liliorum Campus*, erexit dotavitque, & præterea multas arces, urbeſque ſuæ Auſtriæ adjecit, quas ſuo ære comparavit. Non pauci eum Cleri ſeu Eccleſiaſticorum patrem appellabant, quòd Sacerdotes veneraretur, & templa Monaſteriaq; collapſa reſtauraret. Xenodochium S. Spiritus de Saxia dictum Viennæ reparavit, cenſibuſque auxit. Divi Antonij templum in Parochiam erexit, multiſque privilegijs illuſtravit. Pacem inter Gregorium IX. Pontificem Max. & Fre-

dericum

cum Secundum Imp. auxilio quorundam
rum Epiſcoporum & Principum concilia-
. Cùm audiviſſet Sarracenorum Principem
ita in Palæſtina Judæaque Chriſtianis loca
uiſſe, ac ſuperbè Aragonum Regi minari,
abjectâ chriſtianâ religione Sarracenam am-
cteretur, atque idem Chriſtiani Principes fa-
ent, ſe univerſum orbem debellaturum, cum
ſtriæ Styriæque Nobilibus Crucis characte-
accipiens, adverſus eum expeditionem ſuſ-
it. Illi iter fuit per Hungariam, ubi Andre-
ſecundum Regem, ut comitaretur, permo-
. Vix in Ægyptum appulerant, Damiatam
em aggrediuntur, & è Sarracenorum poteſta-
n libertatem adſerunt, hujus Leopoldi po-
imùm virtute. Ita hoſtibus Chriſti profliga-
rediit in Auſtriam, magnâ ſuorum ſubdito-
n lætitiâ exceptus. Obiit in Apulia apud
m Germanum, cùm eò Imperatorem eſſet
tus. Inteſtina ejus in Monte Caſſino, oſſa in
ſtriam delata in cœnobio Campi Liliorum
dita ſunt. Styriam rexit annis XXXVII.
ſtriam XXXI. Ex Theodora uxore ſuſcepit
s tres, primum Leopoldum *Infantem* dictum,
nono ætatis anno obiit; alterum Henricum
nomine *Crudelem* & *Impium*, propter rebel-
nem in patrem & matrem; tertium Frederi-
n, quem habuit ſucceſſorem. Filias deinde
tuor, Conſtantiam, Margaretam, Agnetem,
trudem.

FREDERICVS, quintus Auſtriæ Dux, tertius Styriæ, filius Leopoldi & Theodoræ, poſt mortem patris, & fratris ſui Henrici Crudelis (qui triennio ante patrem è vivis exceſſit, relictâ unâ filia Gertrude) utrumque Ducatum apprehendit. Fuit hic Fredericus ultimus è Babenbergicis Auſtriæ Dux, vir vitæ diſſolutæ, ſed admodum bellicoſus. Viennæ palatium ſuũ habens in id tantùm incumbebat, ut matronas virgineſq; ſe formâ illuſtres conſtupraret, ac cives grauiſſimo jugo premeret, ſi non opprimeret. Quare ab his pulſus, urbem, ſed fruſtrà, obſedit, agroſque circumquaque vaſtavit. Romam deinde profectus, cùm Cæſari Pontificique de vitæ emendatione fidem feciſſet, veniam impetravit. Reverſus in Germaniam, cùm quieſcere non poſſet, in ſe Hungaros, Bohemos, & Bavaros concitavit, à quibus indictum ſibi bellum per tres Feciales uno eodemque die intellexit, nec quicquam tamen, cùm in convivio id temporis eſſet, de hilaritate alacritateque remiſit. Contra Bohemos & Hungaros feliciter pugnavit, ſed reportatam de Hungaris victoriam ſuâ morte luctuoſam reddidit. Quippe dum eos parvâ manu inſequitur, apud Leittam fluvium ex equo dejectus, antequam ſuccurri poſſet, interfectus fuit. Tradũt quidam, eum cùm venationi indulgeret, à Barone de Pottendorf equi

fi æno

ſtrangulatum ac pugione transfixum. Et
em ad hoc facinus commotum Baronem
, quòd cum ejus ſorore turpem Princeps
ſuetudinem haberet. Vt id probent, in ejus
chro dicunt, ad S. tam Crucem cum equi
o & laqueo Principis effigiem reperiri,
de eam familiam inpoſterum infamia no-
n, ad officia ampliùs non admiſſam, & tan-
exſtinctam. Scribit Munſterus in ſua Coſ-
raphiâ Fredericum hunc à Frederico II.
re Regem Auſtriæ renuntiatum. Diplo-
Cuſpinianus refert. Duæ illi uxores conti-
nt: prima Gertrudis Ducis Brunſwicenſis
quam tertio pòſt anno ob ſterilitatem re-
dvit. Altera Agnes Ducis Moraviæ filia,
onſanguineā; ſed hanc quoque ob eamdem
m quarto pòſt anno repudiavit. Quare
nulla illi proles eſſet, in eo Marchionum
umque Auſtriæ Babenbergicorum fami-
ùm annos circiter ducentos & ſeptuaginta
ſet, defecit. Adjunxit Auſtriæ Carniolam
redericus. [illegible]

[illegible]

CAPVT V.

De tumultu poſt Frederici Ducis ultimi mortem in Auſtria pro ſucceſſione excitato.

MOrtuo Frederico, cùm ſuperſtitibus quatuor ejus ſororibus tantùm, unaque nepte, in incerto ſucceſſor eſſet, ingens Auſtriam tumultus concuſſit. Hærebant anxij Primates, quem ſibi Dominum conſtituerent; ſolæ mulieres de ſucceſſione contendebant, nec eas aut lex, aut conſuetudo provinciæ repellebat. Erat natu maxima Frederici ſoror Margareta, quæ Henrico Sueviæ Duci Frederici Cæſaris filio nupta, duos illi gemellos pepererat, Fredericum & Henricum, quos Manfredus ejuſdem Cæſaris filius nothus, ne ad Siciliæ utriuſque regnum, quod ipſe, Cæſare mortuo, occupârat, aſpirarent, veneno ſuſtulit. Sed cùm poſt longam viduitatem, effœto jam ſterilique corpore, ad ſecundas nuptias cum Ottocaro Bohemiæ Rege convolaſſet, Ottocarus, perterritis alijs, maximam Auſtriæ partem jure uxoris ſuæ Margaretæ invaſit, etſi illam mox repudiârit. Ex Gertrude Henrici Crudelis filia, Frederici Ducis ultimi nepte, quæ Hermannum Badenſem Marchionem

nem maritum habuerat, filius unus ſuper-
Fredericus. Hic quoque Auſtriæ loca quæ-
occupârat, & ſe ſucceſſorem, quòd maſcu-
eſſet, ferebat. Verùm cùm Ottocaro viri-
impar eſſet, ſuperſedendum ad tempus ra-
affini ſuo Conradino Suevo in Italiam ad
perandum Neapolitanum regnum profici-
ti comitem ſe junxit. Sperabat enim Con-
hi auxilio Auſtriam ſe poſtea ab Ottocaro
pturum. Verùm poſt infelicem pugnam
o proditi captique, & ex fuga ad Carolum
egavenſem retracti, in foro Neapolis urbis,
ante ipſo Carolo, capite truncati ſunt. In
m morte duæ ſupremæ familiæ Auſtriæ
riæque ſunt exſtinctæ. Interea Ottocarus
næ ſedem elegit, Aulamque in ea urbe
lem, quæ adhuc hodie conſpicitur, ædifi-
curavit, ac Cœnobij Franciſcanorum fun-
enta jecit. Rebus ita ſtabilitis, ut exiſtima-
Cunegundim Roſſuſlai Bulgariæ Ducis
n uxorem, vivente adhuc Margaretâ, acce-
eque poteſtatem id faciendi à Pontifice im-
viſſe ſimulavit. Verùm cùm poſtea fama,
detectâ veritate, laboraret, ne contra Re-
nis Chriſtianæ decreta duas ſimul uxores
e videretur, veneno Margaretam tolli è
o juſſit. Vicinas inſuper provincias aliquot
oteſtati ſubjecit. Duravit hoc ejus violen-
mperium uſque ad Rudolphum Habsbur-

gij Comitem, primum hujus nominis Imperatorem. Hic cùm videret Ottocarum nullo jure Auſtriam poſſidere, ac contemptâ etiam Imperij Majeſtate, nolle pro Bohemia dependentibuſque ab ea provincijs Cæſari ſacramentum dicere, adeſſe eum ſub graviſſimis pœnis juſſit in Comitijs, quæ Auguſtæ Vindelicorum indixerat. Riſit Cæſareum mandatum Ottocarus, nec ullos rationem pro ſe reddituros miſit. Comparuerunt autem iſtis in Comitijs Legati ab Auſtriæ Ordinibus è prima nobilitate miſſi, qui graviſſimè de Regis crudelitate, morte Margaretæ illatâ, injuſta Auſtriæ detentione, optimatum plurimorum occiſione, alijſq; conqueſti, ut à præſenti calamitate, jugoque regio liberarentur, petierunt. Futurum ſibi Principem illum, quem Cæſar Imperijque Principes dixiſſent. Illis auditis, decernuntur Legati, qui rationibus Ottocarum ad officium reducerent; quos cùm ipſe non ſine Imperij ludibrio rejeciſſet, placuit eum armis cogi, & Cæſari ſubſidia ad bellum dari. Erant acies magnis utrimque copijs & ſubſidijs inſtructæ, ſed Ottocarus ancipitem prælij caſum veritus, pacem cum Rudolpho inijt, eique clientare ſacramentum occulto in loco obtulit. Hoc cùm præſtaret, ceciderunt utrimque Cæſarei tentorij vela, & Rex ad Rudolphi genua procumbens conſpectus irriſuſque fuit. Id verò iniquo animo tulit, & cum ei

Cune-

gundis uxor exprobraſſet, bellum paulò
eparavit, & ad pugnam ſeſe violatâ fide
xit. Exijt contra eum Cæſar, Germano-
Hungarorumque copijs ſtipatus, ac felici
o uſus, non procul ab oppido Marchecco
ſuperavit occiditque. Deinde infeſto ex-
n Bohemiam invadens ferro igneq; Wen-
um Ottocari filium ad pacem petendam
it. Datæ illi leges pro Imperij dignitate.
rùm Cæſar filium ſuum Albertum Auſtriæ
ò tantùm præficit, paulò pòſt ex communi
cipum Imperij ſententia, Ordinumq; totius
inciæ rogatu Auſtriæ Ducem illum renun-
Præterea, ut jus illi aliquod acquireret,
em ipſi impetrat Eliſabetham Meinhardi
itis Tyrolis & Agnetis Badenſis filiam,
imam Ducatus Auſtriæ hæredem ac tunc
a. Hoc modo ad Habsburgicos Auſtria de-
t.

Capvt VI.

Ducibus ſeu Archiducibus Auſtriæ Habsburgicis, quorum duo Cæſares fuerunt.

LBERTVS Rudolphi Cæſaris filius, primus ex Habsburgicis Comitibus Au- Dux, ut dictum eſt, à patre renuntiatus,

alijs

alijs Comitijs iterum Auguſtæ indictis, Styriam, Carniolam, & Vindorum regionem, tamquam Imperij beneficia accepit, Norimbergæ præſentibus Imperij Principibus pro ijſdem ſacramentum dixit. Vbi etiam ſocer ejus Meinhardus, dicto ſacramento, Comes Tyrolis, Carinthiæ Dux, Terviſianique Marchio & Imperij Vicarius nominatus fuit. Hic eſt ille, qui parenti ſuo adverſus Ottocarum pugnanti Chriſti crucifixi imaginem prætulit, magnum victoriæ auſpicium. Sed Auſtriæ Proceres, cùm eum ſuis conſilijs parum tribuere animadverterent, fœdere priùs cum Bohemis, Hungaris, & Bavaris inito, fidem & obſequium detrectarunt. Tracta in eamdem ſeditionem Vienna quoque, quæ cùm, aditibus circumquaque ab Alberto clauſis, fame laboraret, Principi ſe ſuo ſubmiſit. Victi tumultus hujus auctores in Auſtria Kuningij, arcium aliquarum jacturâ pœnas dederunt, ſed majus in Ducis clementia beneficium poſuerunt, cùm vitam retinuerunt. Interea è vivis exceſſit Rudolphus Cæſar, poſt cujus obitum Albertus quorumdam Principum ſuffragijs electus Imperator, à pluribus tamen, Adolphus Naſſovius unius potiſſimùm Moguntini aſtu promotus. Albertum ſuperavit. Tulit æquo animo hanc repulſam ſuæ Auſtriæ regimini intentus. Verùm non diu Imperium Adolphus tenuit, propter avaritiam libidinemq; indignum illum

Principes judicarunt, & Albertum novis
s ſuffragijs ad Imperium extulerunt, Adol-
ibrog...ont. Atrox exinde bellum prælio
rope Wormatiam terminatum, in quo in
rtum incurrens Adolphus, cùm ſublato enſe
maret, *Hic Romanum Imperium relinques*,
rtus, *Id in Dei manu eſſe*, reſpondens, illum
re juxta oculum perſtrinxit, quo ſaucius
mque avertens, ac galeam abijciens, ut
ti ſanguini locum daret, è veſtigio à Co-
us, quos Sylveſtres appellant, confoſſus
buit. Victor Albertus, Imperium tamen
ere, niſi novis omnium ſuffragijs eligere-
ecuſavit. Electus unanimi omnium con-
fuit. Eam autem electionem reijciente Bo-
io VIII. Pontifice, & Moguntino ite-
infeſto, conjurantibuſq; quibuſdam Prin-
us, nondum quieſcere potuit. Singulos in-
ns victor tandem exſtitit, & clementiâ po-
quàm pugnâ de ijs triumphavit. Exarſit
cum Bohemis bellum, ſed penè citiùs
imonio ſicitum, quod inter Rudolphum
rti filium & Eliſabetham Wenceſlai Regis
am coaluit. Tentatus deinde, veneno ſibi
nſidias propinato, illud Medicorum operâ
omnes capitis meatus evomuit, non ſine ja-
oculi unius, unde illi *Coclitis* cognomen.
remò filius fratris ejus Rudolphi poſthu-
Joannes, cùm paternam hæreditatem urge-

ret,

ret, ut ad liberiorem vitam properaret, differret autem ei reddere Cæſar, ſub cujus tutela & in Aula agebat, in eum conſpiravit. Tres illi ſceleris ſocij erant & nobiles, quorum operâ uſus, cùm Imperator prope Vindoniſſam, fluvium Vrſam traijceret, primum illi vulnus Joannes in collo inflixit, ſocij plura ingeſſerunt, & ſic mortem. Id accidit octavo Calendas Maij anno ſupra milleſimum trecenteſimum octavo, cùm annis decem imperaſſet, duodecim è prælijs victor evaſiſſet, *Triumphator* propterea dictus. Sepultus eſt inter Cæſares Spiræ, quo eius cadaver ab Henrico Septimo Imp. ex Weitingenſi Monaſterio tranſlatum eſt. In loco cædis uxor ejus Monaſterium erexit, quod Regium Campum appellavit, in eoque cum Agnete filia quinquennio ſuperſtes vixit; marito perpetuis lacrymis parentans.

FREDERICVS Pulcher, ſic dictus ob elegantiam corporis, quâ Principes ſuæ ætatis ſuperabat, omnium formoſiſſimus, Alberto I. patri ſuo in Ducatu Auſtriæ ſucceſſit, cùm frater ejus primogenitus Rudolphus matis ante patrem obiiſſet. Eidem Alberto I. ſucceſſit in Imperio Henricus Septimus Luxemburgenſis, filius Henrici Comitis Luxemburgenſis, & Beatricis Hannoniæ Comitis. Fuit hic Fredericus in omnes liberaliſſimus, proptereaque gratiſſimus.

nus. Occiſo patre Cæſare acriter homici-
perſecutus eſt cum fratre ſuo Leopoldo,
s iram innatâ ſibi manſuetudine plurimùm
peravit. Egit apud Henricum Imp. ut Dux
nnes Alberti occiſor & ſocij ejus rei læſæ
eſtatis declararentur, proſcriberentur, eo-
que bona publicarentur, quæ ipſe poſſedit,
ultas illorum arces ſolo æquavit. Feudum
de Auſtriæ Styriæque ab eodem Imperato-
alisburgi, quo eum ſecutus cum mille quin-
tis Equitibus fuerat, accepit. Viennenſes
ſdam cives, qui percuſſo inter ſe fœdere in
cipis abſentiâ Remp. dilacerabant, ita com-
uit, ut quoſdam luminibus, alios vitâ pri-
t. Bellum quoque adverſus Bavaros geſſit.
rtuo deinde Henrico Cæſare, qui in bello
tra Florentinos per ſacram hoſtiam veneno
uodam Bernardo Religioſo, ut tunc fama
, infectam extinctus fuit, (hunc autem
rentini ſubornârant) Imperium obtinuit,
tus anno CIↃ. CCC. XIV. Nonis Octobris
Archiepiſcopo Colonienſi, Palatino Rheni,
axoniæ Duce; ſed aliorum & plurium ſuf-
gijs electus quoque Ludovicus Bavarus, uno
npe Brandeburgici Marchionis ſuffragio po-
. Coronatus Bonnæ fuit Fredericus; & à
nne XXII. Pont. confirmatus. Cùm autem
ere alteri neuter vellet, anno CIↃ. CCC.
I. Calendis Octoribus inter Muldorphium
&

& Dansbergam certatum aperto Marte eſt, & victoriam ad Ludovicum fortuna detulit, ipſeque Fredericus in Ludovici poteſtatem vivus devenit. Tandem Leopoldi fratris ſui auxilio libertati eâ lege reſtitutus eſt, ut Cæſaris nomen retineret, & pari cum Ludovico poteſtate jureque imperaret. Sancita hæc pax anno CIↃ.CCC. XXV. Monachij publico diplomate, & ipſe Ludovicus diplomate alio Fredericum Romanorum Regem anno ſequenti Vlmæ confirmavit. Ejus uxor Eliſabetha Aragoniæ Regis filia quo tempore captivus maritus fuit, adeò ſe jejunijs & abſtinentiâ maceravit, ut oculos ferè amiſerit. nec à lacrymis temperavit, donec maritum recepit. Nemo umquam ab hujus Cæſaris alloquio, niſi contentus, receſſit, nec quiſquam illi ſervivit, qui non in magnas opes evaſerit. Reverſus in Auſtriam Fredericus, barbâ adhuc horridus & ſqualore oblitus, magnâ ab univerſo populo lætitiâ ſuſceptus fuit. Contabeſcere deinde paulatim cœpit, nec diu vixit. Tandem diſenteriâ ſolutus obijt in Arce Auſtriæ Gutenſtein anno CIↃ.CCC.XXX. XIII. Januarij, ſepultus regiâ pompâ Maurbaci. Vxor Viennæ apud Franciſcanos marmoreum ſepulchrum habet. Ex hoc conjugio filius unus puer obijt; filiæ duæ ſuperſtites fuerunt, Anna & Eliſabetha. Hæc Joanni Bohemiæ Regi deſponſata ante nuptias è vivis exceſſit; illa Polo-

Regi primùm, deinde Ludovico filio Lu-
i IV. Cæſaris, tum Joanni Comiti Gori-
Leopoldus Frederici frater quamdiu in
adhuc fuit pallorem vultu, mœrorem ani-
duit, nec redire cum Bavaro in gratiam
am voluit.

ſt Frederici obitum OTTO & ALBER-
ejus fratres Auſtriacarum provinciarum
nacula ſuſceperunt. Cùm adhuc tunc eſſet
am inter Auſtriacos Duces & Ludovi-
Cæſarem diſſenſio, eos Joannes Bohemiæ
amquam arbiter honorarius in concor-
reduxit. Et quidem cùm Cæſar Ottoni
ti aureorum millia promiſiſſet, quatuor illi
rij civitates in pignus dedit, Schafhuſium,
nfeldam, Neoburgum, & Tigurum. Ve-
cum Tigurini reclamarent, majorum pri-
js indultum ſibi eſſe, ne ab Imperio diſtra-
tur, Briſacum pro Tiguro dedit. Ex eo
re pax firma fidaque inter eos coaluit, &
Auguſtæ in verba Imperatoris juravit.
autem Henricus Carinthius id temporis
num diem clauſiſſet, idem Cæſar, præte-
jus filio, qui unicam Margaretam filiam
em habebat, Carinthiam, Carniolam, &
ctas illi regiones. Auſtriacis in fidem con-
ſolâ Tyrolenſi ditione cum Atheſina re-
Margaretæ relictâ. Qua de re cùm Joan-
nes

nes Bohemiæ Rex graviter apud Imperij Principes conquereretur, fieri nimirū filio ſuo Margaretæ marito injuriam, quod ejus uxor paternâ hæreditate ſpoliaretur, reſpondit Cæſar, Jure ſuo ſibi licere, ditiones, abſque melioris ſexus hærede ad Imperium devolutas, pro ejus commodo, quibus videretur, aſſignare. Conſtare ſibi facti ſui rationes & cauſas, eaſque provincias Auſtriæ vicinas non alio modo quietiores & Imperio obſequentiores fore, quàm ſi ab Auſtriacis gubernentur. Ita refert Gerardus de Roo, lib. 3. Hiſtoriæ ſuæ. Inde grave bellum, quod Rex Bohemiæ & Henricus Bavariæ Dux Auſtriacis indixerunt. Cætèrùm quorumdam Procerum interventu induciæ primùm factæ, deinde Neoſtadij pax, quæ novis affinitatibus confirmatur. Quippe Ottoni, qui priorem uxorem Eliſabetham, Stephani Bavari filiam, amiſerat, Anna Bohemiæ Regis filia data fuit, & Joanni Henrici Bavari filio Eliſabetha Cæſaris filia deſponſata. Anno CIↃ. CCC. XXXVIII. obijt Otto, ſepultus in Novo-Monte Styriæ Monaſterio à ſe fundato. Filios duos ex priore conjuge reliquerat, Fredericum tertium, & Leopoldum ſecundum, qui non diu ſupervixere. Otto *Hilaris* cognomen obtinuerat, quòd eſſet admodum jocoſus, facetuſque.

Igitur jam ex tam numeroſâ Alberti Cæſa-

ri

ole ſolus ſupererat ALBERTVS Secun-
ui primò *Contractus*, ob nervos contractos;
e propter inſignem animi prudentiam *Sa-*
lictus. Sic in eo corporis vitium natura
ensârat. Is primùm ſacris deſtinatus, &
ienſis Præſul factus, quòd nullam ex fra-
ſuis ſupereſſe prolem videret; indulgente
ano Pontifice, uxorem duxit Joannam
rici ultimi Ferretarum Comitis filiam, ex
natrimonio inclyta Auſtriacorum Familia
rata fuit. Aliquot annis à Fratrum obitu
è pacificeque Auſtriæ, ditionibuſque alijs
it. Quarto autem anno filium primoge-
ex Joanna uxore ſuſcepit, magno cum
iaci Ducatus applauſu; quòd nihil virilis
ſupereſſet, & propagandæ familiæ ſpes in
nò Alberto ſita eſſet. Paulò pòſt bellum
it cum Tigurinis, qui Magiſtratum ſuum
decim - virûm ejecerant, & Joannem Haſ-
Comitem in vincula conjecerant Alber-
gò in Tigurinorum agros movit, cui in-
a auxilia aderant, quatuor Principes, ſex
opi, viginti ſex Comites, novem civitates;
is conjunctis Tigurum obſedit. Qui-
autem proceres conſiderantes tantum
rù ſine vicinorum injuris augeri non poſſe,
etiam Tigurini non minora auxilia à con-
ratis ſuis accerſiviſſent, eò rem adduxe-
ut omnis controverſia arbitrio Agnetis,
ex Hungariæ Regis viduæ, addici, utrim-
 que

que aſſeſſoribus, committeretur. Erat illa Alberti Cæſaris filia, vitamque in Monaſterio Campi Regij cum vitæ ſanctimonia degebat. Conata igitur pacem inter fratrem & Tigurinos ſancire, nihil demùm efficere potuit. Reditur ad arma, feliciter pugnant Tigurini cum fœderatis ſuis, Lucernates Hasburgi arcem demoliuntur, Tugium oppidum ad ſuum fœdus adducunt. Iterum verò auctoritate Ludovici Marchionis Brandeburgici, qui in caſtris Alberti erat, pax his conditionibus ſancitur, ut Tigurini Alberto Tugium reſtituerent, quod tamen ſi ſine damno fieri poſſet, in fœdere remaneret: Joannes Hasburgicus è cuſtodia dimitteretur; Alberto ea loca, quæ Tigurini cepiſſent aut deſtruxiſſent, priſtino ſtatui reſtituta, redderentur; obſides Tigurini reciperent. Verùm hęc pax non diuturna. Siquidē Tugiani cùm Principi obſequerentur, fœderatis plerumque diſplicebat; nonnumquam quod fœderi dabant, Princeps nolebat. Inde partis utriuſque querelæ. Amplius verò Tugium poteſtati ſuæ ſubijciunt, iterùm fœdus initum confirmant, Albertum excludunt. Quare Carolus Quartus Imp. qui Ludovico bavaro Cæſari ſucceſſerat; cum ipſo Alberto Tigurum profectus, rationes Helvetiorum & Alberti audivit, tandemque Ratiſbonæ Imperij Comitia indicens præſentibus partium Legatis edixit, ut Tigurini, ſalvis fœ-

deribus

deribus ſuis, ſolita Auſtriacis obſequia præſtarent. Id accidit. XXIV. Julij. Quam pacem Albertus anno ſequenti confirmavit, & fœdus cum Tigurinis in annos quinque pactus eſt. Anno demùm quinquageſimo octavo, Calendarum Auguſti decimo tertio, cum Gemmoigum Cœnobium Carthuſianum in ſuperiori Auſtria perfeciſſet, obijt, ibidemque ſepultus fuit apud uxorem Joannam, quæ quinque ante annos è vivis exceſſerat. Hæc quia erat cum Sorore ſua Urſula poſt patris mortem ſuperſtes, nec alij ſupereſſent liberi, Auſtriaci, numeratis Urſulæ ducatorum octo millibus, Comitatum Ferretanum cum Suntgovia alijſque ditionibus hereditate adierunt. Reliquit Albertus filios quatuor, Rudolphum IV. Albertum III. Leopoldum III. & Fredericum IV. Filias duas, Catharinã, quæ Viennæ cœlibatum apud Divæ Claræ Religioſas amplexa fuit, & Margaretam, quæ poſt Meinhardum vitâ functum Joanni Moraviæ Principi, Caroli Cæſaris fratri, nupſit.

RVDOLPHVS Quartus Alberti ſecundi maximus natu filius, dictus cognomine *Magnanimus*, ultimâ patris voluntate Auſtriæ Dux declaratus eâ lege fuit, ut fratres conſiliorum participes haberet. Pacem cum Helvetijs imprimis & fœdus cum Tigurinis in quinque annos

 à patre

à patre initum ſervavit, & pontem mille octingentorum & quinquaginta paſſuum ſuprà Lacum Tigurinum à Raperſvilla Hurdenûm uſque ingentibus impenſis ſtravit, magno iter facientibus commodo. Id operis aliqui patri attribuunt. Plurima plancque inſignia Auſtriæ privilegia à Carolo Cæſare obtinuit, de quibus infrà. Ejus tempore Margareta Maultaſch, Henrici Meinardi Tyrolenſis Carinthiæ Ducis filia, cui ut ſuprà retulimus, ex paternis ditionibus ſola Tyrolis & Altheſina regio relicta erat, rejecto Joanne Henrico, Joannis Luxemburgici Bohemiæ Regis filio, quòd eum virum eſſe negaret, ac matrimonio inter eos per Patriarcham Aquilegienſem ex Pontificis ſummi auctoritate nullo irritoque declarato, cùm ad nuptias cum Ludovico Bavaro convolaſſet, illo primùm, tum ejus filio biennio pòſt exſtinctis, ipſa ex Ordinum Provincialium decreto conſenſuque ditionem omnem ſuam cognatis ſuis Rudolpho, Alberto, & Leopoldo Auſtriacis pleno jure tradidit. Eo ipſo anno Fredericus eorum frater annos quindecim natus obierat. Sunt qui ſcribunt Margaretam Rudolpho Auſtriaco nupſiſſe, ſicque per hoc matrimonium Tirolenſem ditionem ad Auſtriacos perveniſſe. Verùm horum opinionem Gerardus de Roo refellit auctoritate potiſſimùm Diplomatis ejus, in quo hæc donatio legitur, quam Carolum Cæſarem

ex Imperij beneficio confirmaſſe teſtatur. Oſtendit quoque quòd Rudolphus Margaretam ubique cognatam, nuſquam uxorem appellet, ac inſuper quòd Ludovici Bavari ultimi ejus mariti conſanguinei publicis tabulis declarâverint, nihil ſibi juris in Tyrolenſem Ditionē eſſe ac propterea nullam Auſtriacis exhibere moleſtiam velle. Idem fecit Albertus Goricienſis Comes.

Inter hæc Rudolphus ad pietatis opera ſe convertit. Viennæ Divi Stephani templum ex Parochiali Cathedrale fecit, in quo Præpoſitus unus, Canonici viginti quatuor. Templi fornices altiores extruxit, & turris, quæ magnificentiſſima ſpectatur, fundamenta jecit. Academicorum ſtipendia auxit, utque illi in Canonicos legerentur, conſtituit, modò eſſent emeriti. Cœnobijs ferè omnibus aliquid largitus eſt, & ideò *Fundatoris* titulo à multis ornatur. Sed hoc tēpore Bavari propter ademptam Tyrolim bellum illi moverunt, & Muldorfium ad Orni ripam obſederunt. Quibus cùm Salisburgenſium Epiſcopus ſeſe opponeret, Auſtriaci fratres Præſulem non deſerendum rati Rhietum oppidum in Bavaria obſidione arctiſſimâ cinxerunt, cui opem laturi Bavari Muldorfiū reliquerunt. Poſtea cùm Carolus Cæſar in Italiam expeditionem pararet, comitatus Cæſarem eſt ſoce-

rum ſuum Rudolphus, equitibus quingentis inſtructus. Vix Mediolanum appulerat,ex æſtu & itinere in ardentem febrim incidit, annoque ætatis vigeſimo ſexto è vivis excedit. Corpus ejus Viennam relatum ad D. Stephani in Crypta ſub Choro ſepelitur. Hoc ille ſibi ac ſuis Commune ſepulchrum pararat; ubi quotannis Canonici Academicique ipſo obitus die ſingulari officio memoriam ejus celebrant.

Sublato è vivis Rudolpho ALBERTVS Tertius, *cum Trica* dictus, quòd longos capitis crines tricâ innexos geſtaret, & LEOPOLDVS Tertius, cognomento *Probus*, Auſtriæ aliquamdiu ſimul præfuêre. Mòx ortâ inter ipſos per utriuſque domeſticos diſſenſione, convenerunt, ut Leopoldus, Alberto fratre Viennæ relicto, in Ergoviam vicinaque Helvetijs loca ſecederet. Sic Alberto Auſtria, Stiria, Carinthia, & quæ regiones inferioris ſunt Auſtriæ, ceſſerunt; Alſatia ditioneſque Suevis & Helvetijs vicinæ, Leopoldo. Tyrolenſem Comitatum velut in medio poſitum communi nomine adminiſtrarunt. Initia adminiſtrationis utrique pacata, & Leopoldus initũ cum Tigurinis à patre fœdus ad annos ſeptem prorogavit,jurejurando ab illis accepto. Circa hoc tempus Angli vaſtatis Galliæ agris in Alſatiam eruperant, omniâ crudelitate ſummâ depopulantes, qui ubi adventare

contra

contra ſe Cæſarem, cujus auxilium Alſatiæ civitates implorârant, intellexere, retrò cum prædis abierunt. Irruperant non ita diu poſt iterum cum ſeptuaginta millibus, & ſic majora damna inferebant; verùm inopiâ victualium & frigore coacti cùm ſe diviſiſſent, à Bernenſibus reliquiſque Helvetijs cladem paſſi, rurſum in Galliam diſceſſerunt. Bellum deinde cum Egone Friburgenſium Comite fuit, quòd is inſolitis exactionibus ſubditos premeret; tandem per Argentoratenſem & Baſilienſem Epiſcopos pax eâ lege facta, ut, acceptis duodecim aureorum millibus Friburgum Auſtriacis cederet, quæ civitas eorum poteſtati adhuc hodie ſubeſt. Poſt hæc cum Venetis bellum, quòd eorum imperium Tergeſtini detrectarent, & ſe ſuaque omnia Auſtriacis dederent; ſed cùm ferri illis ſuppetiæ non poſſent, Venetis ſe ſubjecerunt. Nova tum cum Bavaris concordia, quâ Auſtriacis omne jus in Tyrolim iterum tranſtulerunt. Leopoldus quoque ut ditiones paternas amplificaret, Comitatum Ueldbirchamim à Rudolpho Montfortio triginta ſex aureorum millibus emit, item ab Alberto Comite Werdenbergico Pludentium, Sargantium, & Sacrum Montem, quæ loca tueri Comes non poterat. Orto denique cum venetis bello, hi ex Senatuſconſulto Tarviſium Leopoldo, unà cum Beluno, Seravalla, & Caſtro Divi Uictoris, tradidere, ut

 nimirum

nimirum plurium ſe hoſtium metu liberarent, qui imminere videbantur. Ea oppida in fidem Auſtriacorum recepta fuere, ſed poſtea à Carrario redempta. Actum deinde de nova provinciarum diviſione cum Alberto, cùm Leopoldus ſuas prolium numero non ſufficere conqueretur. Quare Albertus, ſolâ Auſtriæ provinciâ ſibi retentâ reliquas omnes fratri conceſſit. Leopoldus demùm bello Helvetico in pugna Sempachiana cecidit, Aſſerunt aliqui, monitum à ſuis fuiſſe, ut tuto ex loco pugnam ſpectaret, non intereſſet; viſo autem ſuorum periculo protinus ex equo deſiluiſſe, neque tot viros egregios deſerere voluiſſe. Id conſtat, ſtrenuè in primâ acie pugnantem occubuiſſe. Ejus corpus in Campi Regij Monaſterio cum alijs aliquot optimatum cadaveribus tumulatum eſt. Reliquit ex Virida, Barnabovis Ducis Mediolanenſis filia, filios quatuor, Wilhelmum Secundum, Erneſtum Primum, Leopoldum IV. Fredericum V. filiam unam Eliſabetham, venuſtate corporis formoſiſſimam, quæ cùm eſſet Henrico Goritiæ Comiti deſponſata, ante nuptias vitam morte commutavit. Quidam illi Catharinam etiam filiam attribuunt quæ voto caſtitatis in religioſo ordine ſe obſtrinxerit.

Inter filios natu maximus Wilhelmus, à morum venuſtate *Aulicus* dictus, Hedwigem Ludovi-

Ludovici Hungariæ & Poloniæ Regis filiam, cum certâ in Poloniæ regnum ſuccedendi ſpe, deſponſatam, ita patre volente, habebat. Mater Regina pactum matrimonium in urbe Buda confirmavit. Paulò pòſt Hedwigis regno inauguratur. Intereà Jagello Lituaniæ Dux Reginæ nuptias & regnum per Legatos petijt; & quamquam Hedwigis deſponſatam ſe Wilhelmo Auſtriaco fateretur, inconſtans tamen mater Jagelloni filiam addixit, Proceres regni auctores fuerunt, & ille regno Reginaque potitus eſt. Cùm autem ad cauſam dicendam Wilhelmus vocaretur, reſpondit, de muliere inconſtanti litem perſequi infra Archiducis dignitatem eſſe. Quamdiu tamen Hedwigis in vivis fuit, tamdiu cœlebs ipſe vixit. Poſt ejus mortem Joannam Duraciam Caroli Hungariæ & Apuliæ Regis filiam uxorem accepit.

Cæterùm poſt Leopoldum interfectum Albertus ejus frater, qui ſolam Auſtriam ſibi retinuerat, eam ſummâ quiete adminiſtrabat, Princeps jam à primis annis pietati & fovendis bonarum artium ſtudijs addictiſſimus. Quare Viennenſe Gymnaſium publicam Academiam erexit confirmante Urbano Sexto P. M. Mathematicas diſciplinas ſummo ſtudio promovit; Architecturam etiam & ſtatuariam unicè coluit. Laxemburgum Arcem, ut in ea pacis tempore otiū

ſuum

ſuum oblectaret, exſtruxit; Arcem autem Leonſteinam, quod inferendæ injuriæ opportuna eſſet, obſedit, cepit, exuſſit anno CIↃ. CCC. LXXXVIII. Demùm cum ad bellum contra Bohemos exortum ſeſe pararet, morbo correptus diem obijt, XV. Cal. Septembris, anno ejuſdem ſæculi XCII. in Arce Laxemburgo. Sepultus eſt in D. Stephani Æde. Tricam ejus Laxemburgi tradunt aſſervari. Vxores illi duæ fuerunt, una Eliſabetha Caroli Quarti filia, ex qua liberos nullos ſuſcepit; altara Beatrix Norimbergenſis Burgravia, quæ illi filium unum hæredem Albertum eo nomine in Auſtriacâ gente quartum, peperit.

ALBERTVS igitur Quartus poſt patris obitum Auſtriam gubernandam ſuſcepit. Ejus autem animum pium quoddam ſacra Paleſtinæ loca inviſendi deſiderium inceſſit. Diſſuadebat mater Beatrix, Wilhelmus item patruus, proceresque, & pericula oſtendebant. Sed abduci à propoſito non potuit. Quare, relicto ad gubernacula Wilhelmo, Venetias proficiſcitur, duabuſque inſtructis triremibus, cùm totam urbem perluſtraſſet, mari ſe committit, & felici navigatione in Syriam appellit. Poſtquam in terram deſcendit, nemini quis eſſet aperiri voluit, donec viſitatis ex ordine locis ſacris, & acceptâ equeſtri dignitate, navem iterum in-

greſſus,

greſſus, Auſtrij Ducatus inſignia explicari tubiſque cani juſſit. In Auſtriam tandem ſoſpes reverſus, à ſuis cum incredibili lætitiâ plauſuque excipitur. Vxorem deinde ducit Joannam Alberti Bavari, qui Hollandiæ & Zelandiæ Princeps erat, filiam. Erat elegantiſſimi corporis Dux, virili facie, barbâ nigrâ, integerrimis moribus, ac multis animi dotibus ornatus, Chriſtianæ pietati ita additus, ut in Divorum ædibus cùm Sacerdotum ordine publicè cantaret. Id illi impij homines vitio vertebant, & Monachum potiùs, quam Principem eſſe dicebant. Cum doctis viris ac Religioſis aſſidua illi converſatio erat, familiaritaſque. Erat præterea ingenioſiſſimus Architectus, dolare tornareque politiſſimè ſciebat, hiſque exercitijs ſuum otium impendebat. Anno ſupra milleſimum quadringenteſimum ſecundo Sigiſmundus, Wenceſlai Jgnavi Cæſaris frater, & Hungariæ Rex, beneficiorum ab Alberto acceptorum memor ei ſucceſſionem in regnum ſuum adjunctaſque provincias, ſi ſine maſculo hærede moreretur, decrevit eâ lege, ut ſingulis filiabus, ſi quas reliquiſſet, centum aureorum Hungaricorum millia in dotem numeraret. Extant hujus rei litteræ Vicariatus Imperij ſigillo munitæ, quibus litteras alias irritas facit, quas quondam patrueli ſuo Judoco Sigiſmundus de eadem ſucceſſiione conceſſerat. Atque hæc prima occupandi Hungariæ

gariæ regnum Auſtriacis occaſio fuit. Bellum inde Alberto in Moravia exortum. Procopius Judoci Barbati in Regem Romanorum electi frater, multis ſibi perditis hominibus adjunctis Znoymam ad Auſtriæ fines urbem occuparat, & vicinas regiones deprædabatur. In hunc Albertus ſexdecim millium exercitu inſtructus movit Znoymamque obſedit. Verùm cùm hoc bellum non ex militaris diſciplinæ ratione adminiſtraretur, maleq; omnia ſuccederent, ac plurimi ſegniter agerent, quos domi reliquiſſe è re fuiſſet, accurrit Sigiſmundus Rex, & Alberto ſocia arma conjùnxit. Procopius ergò majorem belli vim paratam, in ſe videns, ad dolum confugit, ac per ſubornatos à ſe miniſtros utrique venenum exhiberi curavit. Sigiſmundus inde Medicorum operâ convaluit; Albertus ſolutâ obſidione Neoburgum delatus vi veneni, & ſoluto in dyſenteriam ventre, obijt VIII. Cal. Sept. Anno CIↃ CCCC.IIII. Corpus Viennæ in D. Stephani templo conditum eſt. Reliquit ex Joanna conjuge filium unum Albertum Quintum poſtea Cæſarem, & filiam unam Joannam, quæ Henrico Bavariæ Duci nupſit.

CAPVT VII.

De Cæſaribus Auſtriæ Archiducibus, qui interuptâ ſerie ad hunc uſque diem Imperium tenuerunt.

ALBERTVS Quintus, cùm vix annos decem natus eſſet patre mortuo, ejus tutelam Wilhelmus Archidux illius patruus ſuſcepit, & Auſtriam pro illo adminiſtravit. Ea adminiſtratio biennio tantùm duravit. Nam anno CIↃ. CCCC. VI. Wilhelmus, nullâ relictâ prole, obijt. Tradunt leonem ab hoc educatum fuiſſe, qui eo mortuo cibum à nemine ſumere voluit, ſicq; inediâ perjit. Poſt Wilhelmi mortẽ Leopoldo itidem patruo pueri Alberti tutela, Procerum Auſtriæ conſenſu, committitur, quã cùm Leopoldi fratres Fredericus & Erneſtus Archiduces (ſed imprimis Erneſtus) ad ſe quoque pertinere contenderent, graves & pernitioſi tumultus in Auſtria ſunt excitati. Ne res in civile bellum erumperet, egerunt proceres, ut Erneſtus quoque in tutelæ partem admitteretur. Fredericus hanc rem minùs urgebat, quòd ejus provinciæ longiùs eſſent ab Auſtriâ diſſitæ; Erneſtus autem Styriam Carinthiamque poſſidebat. Interim tumultuum iſtorum tempore

Auſtria miſerè lacerata, & ipſa Vienna pænè devaſtata fuit, dum diviſi civium primores Nobileſque velut in factione, fratrum alteri ſtudent. Leopoldus autem anno cIↃ. CCCC. X. Viennæ in Palatio graviter cœpit ęgrotare, cùm fiſtulam in altero cruce ſuppurantem contra Medicorum conſilia ſiſti claudique voluiſſet. Obducto quippe vulnere ſanguis ſanieſque per os & nares ebullierunt, indeque illi mors maturata. Corpus ejus ad D. Stephani in majorum ſepulchrum delatum fuit. Vxor ili fuit Catharina Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filia, ex qua nulla illi proles, niſi fortè una filia, ut nonnulli volunt. Non ita diu pôſt Albertus, cùm jam annum decimum quintum ageret, ad ſuſcipienda rerum gubernacula invitatur. Itaque abjectâ tutelâ, Viennam celeberrimâ pompâ ingreſſus, ab omnibus Ordinibus feſto ubique plauſu excipitur, perſtrepente tubarum & æris campanæ ſono. Seorſim quoque illi Academia gratulatur perorante tum Theologo quodam Doctore Frontone. Omnium amorem ipsâ corporis dignitate conciliabat; nam erat corpore valido & nervoſo, facie virili, flavâ Cæſariæ grandibus oculis, ac barbâ ſuperiore, labro extenſa. Magna vero in eo jam à primis adoleſcentiæ annis elucebat indoles, ſummarumque virtutum ſpes. Quare ſub illo floruit tranquillo rerum ſtatu Auſtria, quam latrocinijs omnibus

purgavit,

purgavit, legum vigorem, ac metum pœnarum ſancivit. Jus ſummâ æquitate dicebat, parvorum etiam delictorum reos à mulcta ſeu pœna aliqua non eximebat, nec cum domeſticis ejus ullo modo convivebat. Moverunt hæ virtutes Sigiſmundum Imp. adnitente Remberto Waldſeio, ut illi filiam ſuam Eliſabetham conjugem addiceret, etſi admodum adoleſcentulam, quam anno CIↃ. CCCC. XXII. Viennam duxit, nuptiæque regio ac ſolemni ritu ſunt celebratæ. Et quia unica filia erat & hæres, Cæſar Sigiſmundus illi Hungariæ, Bohemiæ, Moraviæ poſſeſſionem promiſit, ſi nulla ei proles maſcula naſceretur. Si autem filia alia, unum è duobus regnis cum Moravia, quod vellet, eligeret. Paulò pòſt Moraviam dotis nomine, aut quòd ægrè illam tueri poſſet, dono dedit. Sed illa cùm Dominum agnoſcere Albertum vix vellet, vi coacta fuit. Poſtea commendatione Sigiſmundi Cæſaris Regis Bohemiæ, regnum Bohemiæ adipiſcitur, & lætâ acclamatióne ſalutatur. Cumque Sigiſmundus Cæſar nono Novembris die, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum trigeſimo ſeptimo, obijſſet, indictis ad Albam Regalem comitijs, Procerum ſententiâ Hungariæ Rex declaratus coronatuſque fuit. Imò eodem anno confirmatum in Procerum Bohemiæ conventu Sigiſmundi; decretum eſt, ut ſi in Auſtriaca vel Bohemica familiâ proles deficeret,

deficeret, ex altera hæres acciperetur. Dum hæc in Hungaria Bohemiaque aguntur, Septemviri Imperij ElectoresComitia Francofurti, ut Sigiſmundo Cæſari ſucceſſorem darent, habebant. In quibus cùm recitatum eſſet Sigiſmundi de Alberto judicium, & audita Hungarorum Bohemorumque electio, nec ignota foret virtutum ejus æſtimatio, illum uno conſenſu Imperatorem ejus nominis Secundum elegerunt. Refragabantur equidem Hungari, quòd Albertus ante ſuſceptam Hungariæ coronam promiſiſſet, ad Imperium ſe non aſpiraturum, nec ſi offerretur, accepturum ſine eorum conſenſu, ac propterea etiam Imperium ipſe recuſabat. Sed quia inſtabant Electorum Legati urgebantque, conſenſum tandem Hungari præbuere, & Albertus electionem de ſe factam, multis profuſis ante lacrymis, ratam habuit. Coronatus Aquiſgrani fuit. Obtulerat ei Poloniæ Rex filiam ſuam, ſed recuſavit, nondum oblitteratâ ejus contumeliæ memoriâ, quâ Wilhelmum Archiducem Hedwigi deſponſatum aſſecerant Poloni. Ita uno eodemque anno Albertus, magno felicitatis exemplo, duo regna Hungariæ Bohemiæque, & Imperium obtinuit. In Maximiliano Secundo Cæſare idem poſtea viſum. Duo illi exorta poſtmodum bella; unum adverſus Poloniæ Regem pro Bohemia, quam Vladiſlaus Rex adjungere Poloniæ conabatur, jam-

que

que ingentes copias in regnum immiſerat, quibus ſe proceres quidam Terbonitæ conjunxerant. Contra Polonos miſit Cæſar Albertum Marchionem Brandeburgicum; qui Achilles Germanicus eſt dictus. Hic frequentibus prælijs Polonos ita fregit, ut pace petitâ factâque, Bohemiæ limitibus excedere coëgerit. Alterum contra Amuratē Turcarum Imperatorem pro Hungariâ, quam ille excurſionibus vaſtabat. Contra eum Cæſar eundem Albertum Brandeburgicum ablegavit, cujus adventu Turcæ territi, oppugnato Synderovio ad Danubij ripam Caſtello, terga dederunt, & in Græciam ſe receperunt. In hac autem expeditione Cæſar Albertus ob ingentem æſtum in profluvium alui pernitioſamque diſenteriam incidit, quam contraxiſſe ex peponum eſu quidam volunt. Cæterùm cùm ſiſti alvus non poſſet, ut in Auſtria ſua moreretur, Viennam verſus iter inſtituit, Strigoniumque venit, ubi cum pauliſper propter languorem commoratus fuiſſet, ad vicum Neſmel progreſſus teſtamentum condidit, ibidēque ingraveſcente morbo, VI. Cal. Novembris è vivis exceſſit, Anno CIↃ. CCCC. XXXIX. Cadaver Albam Regiam tranſlatum, & regio Hungarorum tumulo illatum fuit. Adeò ſplendentis fortunæ molem ſuſtinere non potuit, qui intra paucos menſes duos Ducatus Auſtriæ & Luxemburgi, unum Marchionatum Moraviæ, duo Regna Hungariæ & Bohemiæ, unum Imperium

Romanum adeptus erat. Duæ illi filiæ fuere, Anna, quæ Guilielmo Saxoniæ Duci nupſit, & Eliſabetha, quæ Caſimiro Polono. Sed uxorem gravidam reliquit, quæ paucis menſibus pôſt filium Ladiſlaum parit, qui vix quadrimeſtris in Alba Regali Hungariæ Rex eſt coronatus. Paulò antè pars una Nobilitatis Vladiſlaum Poloniæ Regem evocârat, & is ſe pro Rege gerebat, donec Germaniæ Principes controverſiam ita compoſuerunt, ut Eliſabetham Ladiſlai Sororem Caſimirus Vladiſlai Frater duceret, regnum Ladiſlao relinqueretur, cujus tutor Fredericus junior Erneſti Archiducis filius eſſet, aut, ſi ille deficeret, Auſtriæ hæres cum fratre reciperetur. Eodem tempore in Bohemia tumultuatum. Nam Bohemi, neglecto Ladiſlao, regnum ſuum Alberto Bavaro obtulerunt, qui raro inter Principes exemplo, ne Ladiſlaus regno ſpoliaretur, recuſavit. Obierat eodem, paulò ante Albertum Cæſarem, anno Fredericus Auſtriacus ſenior, Tyrolenſium Princeps, ſepultus in Monaſterio Stambs, de quo illud conſtat, quòd ſæpè, Aulâ relictâ, mutatoque habitu inter ruſticos verſabatur, & liberas de præfectis ſuis querelas audiebat. Unam hujus rei cauſam allegabat, quòd aliter verum intelligere de ſubditis ſuis non poſſet.

Porrò FREDERICVS Auſtriacus junior Erneſti Archiducis filius, Anno CIↃ. CCCC.

cccc. xl. ad III. Calendas Aprilis Francofurti ab Electoribus propter Alberti ſecundi Cæſaris mortem moeſtis ac ſollicitis uno conſenſu in Romanorum Regem eſt electus. Fuit ejus nominis quartus Cæſar. Erat tum Neapoli in Auſtria, ubi factam de ſe electionem audijt, & ratam habuit, etſi gubernandis familiæ Auſtriacæ provincijs curarum mole obrueretur. Hic quoque Bohemos audijt, qui, ut tutorio nomine Bohemiã gubernaret, poſtulabant, aut etiam, ut neglecto Ladiſlao pupillo, ſibi regnum vindicaret, eorum nonnulli ſuggerebant; ſed horum explosâ ſententiâ, præfici Bohemiæ Magiſtratus aliquos imperavit, curam verò Ladiſlai educationis libenter accepit. Ad eum paulò pòſt Eliſabethæ Alberti Cæſaris vidua cum Rege puero & Hungariæ corona in Auſtriam venit ac triennio pòſt ibidem obijt. Fredericus Cæſar interim Aquiſgrani Imperij diadema accepit à præſule Colonienſi. Plurimæ illi cum Helvetijs initio difficultates fuere, quòd eorum confirmare privilegia nollet, niſi ablata Auſtriacis reſtituerent. Nec pauciores cum Alberto ſexto ejus fratre, qui de paternæ hæreditatis diviſione querebatur, & in Auſtria tumultum excitabat. Eodem tempore Georgius Podiebradius, qui Bohemiam adminiſtrabat cùm Memherdo, Legatos regni nomine ad Fredericum Cæſarem miſit, qui tradi Bohemis Regem puerum poſtularent, ut patriæ moribus & inſtitutis imbueretur

Cæſar videndum illum equidem exhibuit, ſed propter teneram adhuc ætatem non dimiſit. Apparuit egregia tunc Ladiſlai indoles. Nam cùm inter legatos Joannes à Brandeſio Regis pueri manum oſculatus, ſua illi merita expoſuiſſet, quæſiviſſetque quâ mercede illum donaret, puer ex œconomi ſui loculis nummos aliquot deprompſit, & Brandeſio in manum ingeſſit. Paulò pòſt Hungari quoque, qui Joannem Corvinium Proregem elegerant, per legatos Regem & regni coronam repetiverant, ſed idem, quod Bohemi à Cæſare reſponſum tulerunt. Videbat Cæſar obnoxiam multis injurijs pueri ætatem eſſe, nec paucos regnis ejus inſidiari. Compoſitis per Æneam Sylvium in Bohemia rebus, in Italiam Cæſar tranſijt, ut Imperij diadema à Pontifice acciperet, & Eleonoram Eduardi Luſitaniæ Regis filiam, quæ tum in itinere erat, uxorem duceret, ſibi antea deſponſatam. Auſtriæ regimen certis interea proceribus commiſſum. Ladiſlaus Rex & Albertus Archidux idem iter ſunt ingreſſi. Excepit ſingulos pro dignitate Pontifex, ac primùm Fredericum Eleonoramque conjugali vinculo conjunxit; tum Imperij inſignia coronamque verticibus eorum impoſuit, acclamante univerſo populo, *Frederico Pacifico à Deo coronato vita & victoria.* Româ Neapolim Cæſar pergit cum Eleonora, ab Alphonſo Rege invitatus, Imperatricis avunculo, ubi nuptiæ regali pompâ & luxu

luxu inſtructæ. Poſt hæc nuntiatur in Hungaria Auſtriaque novos tumultus excitari, nec quietam abſente Cæſare Bohemiam eſſe. Maturatur proinde in Germaniam reditus per Venetias, ubi Cæſar ſummo honore excipitur, Imperatrici à Ducis uxore cum ducentis primariæ nobilitatis matronis obviam itur. Sunt qui Fredericum dixiſſe ferunt, Nomini Veneto amicum ſe eſſe, ſed inter poſteros ſuos Venetosque magnum belli motum exoriturum. Cumque admoneretur, ut in itinere inſidias caveret, Ladiſlaus, inquit, unus petitur, non ego; illo autem in medium prolato, Auſtriaci, Bohemi, Hungarique inter ſe digladiabuntur. Vix appulerat in Germaniam Imperator, Ladiſlaum Viennenſibus tradit, cui quatuor puerorum millia obviam venêre, quorum ſinguli vexilla gentilitijs inſignibus ornata Principi tradiderunt. Occurrit illi quoque Eliſabetha ſoror, & Viennenſiũ uxores, quæ Ladiſlao ſertum quoddam ex unionibus confectum obtulerunt. Sequebatur Academiæ Rector cum ſuis; ſacer deinde Eccleſiaſticorum ordo. Hoc modo inter feſtivas acclamationes ad D. Stephani Ædem deducitur, inde in palatium. Vbi mutatis civitatum Magiſtratibus, ſacerdotijs collatis, Legatisq; auditis, cœpit munia Principis obire. Proximum ab eo locum Corvinus Hungariæ Prorex ob res geſtas tenebat, Non defuerunt, qui ambiguos rumores ſpargerent, Fredericum omni Auſtriæ ditione velle Ladiſlaum exu-

 um exu-

um exuere ea de re cum Pontifice Romæ egiſſe, à Trevirenſi etiam & Saxone Electoribus litteras habere, quibus ſupremus Auſtriæ Princeps, quòd ætate cæteros anteiret, declaratur. Sed hæc temerè ac falsò jactabantur. Cæterùm Bohemi Hungarique præſertim apud ſe Regem requirebant: itum autem priùs Presburgum in Hungariam, quòd in eo regno natus educatusque eſſet, ubi Hungari Regi ſacramentum dixêre. Ne ulteriùs iretur, Bohemi moram injecerunt, unde factum, ut Viennam Ladiſlaus reduceretur. Inde tamen in Bohemiam & Pragam abijt,& regni coronam magnâ omnium lætitiâ accepit; nihil verò in religionis diſſidijs, inconſulto Pontifice, ſtatuere voluit. Cætera, quæ à Sigiſmundo avo & Alberto patre fuerant conceſſa, confirmavit. Iterum deinde in Hungariam digreſſus, iterum in Bohemiam redijt, nec utrobique ſimultates deerant & tumultus, prævalentibus auctoritate Cilienſi & Corvino, ſed diſſidentibus. Actum poſtea de uxore Ladiſlao deligenda,& placuit Magdalena Caroli ſeptimi Francorum Regis filia, ſed ante nuptias Ladiſlaus pragæ incerto morbi genere obijt: peſte aliqui, alij cruditate ſtomachi interijſſe putant; Medici Germani ſuſpicionem veneni fecerunt. Tres omninò ſupererant hæredes, pari agnationis jure, Fredericus Cæſar, Albertus ſextus ejus frater, Sigiſmundus Tyrolenſium Princeps. Convenerunt ita inter ſe, ut Cæſari Auſtria

ſtria inferior uſque ad Amaſum relinqueretur, regio ſupra Amaſum Alberto cederet, Sigiſmundo. Carinthia. In Arce Viennenſi quiſque ſuum hoſpitium haberet. Bohemi Regem elegerunt Georgium Podiebradium, Hungari Matthiam Corvinum. Infirma verò pax iſta fuit. Nam Albertus Viennenſesque Cæſarem in Arce obſederunt cum conjuge Eleonora, filioque Maximiliano, ducentisque circiter alijs, qui omnes pænè ad inediam ſunt redacti. Sed Bohemiæ Rex Georgius cum octo militum millibus in Cæſaris auxilium properavit, nec ullas audire concordiæ leges voluit, priuſquam Cæſar liberaretur. Hic Comitijs Ratisbonæ indictis, de Principum conſenſu, Alberto aquâ & igni interdicit, provinciasque omnes & Imperij beneficia adimit. Nec abnuebant Viennenſes, qui de ejus violentia conquerebantur. Provocavit Albertus ad Pontificem tum Pium Secundum, qui illi, & ijs, qui Cæſarem obſederant, ſacrorum uſu interdixit. Hæc inter Matthias Hungariæ Rex Legatos cum tribus equitum millibus Neapolim ad Cæſarem miſit, qui regni coronam repeterent, ſed ex ijs ſolus Varadinus legatus cum ducentis equitibus in urbem admiſſus fuit, eaque lege pax facta, ut Hungariæ Regi Cæſar regnum concederet, ad ipſum, hæredeſque ipſius rediturum, ſi ſine maſculo hærede Rex è vivis excederet. His ita pactis, Hungari cum Coronâ abiêre, numeratam Cæſar pecuniam accepit.

Albertus paulò pòſt ſubito correptus morbo obijt quarto Nonas Decemb. ad D. Stephani in Majorum ſepulchro conditus. Dictus in vivis *Prodigus*, quòd nulla umquam ei pecunia in ſumptus ullos ſatis magna fuerit. Poſt Alberti mortem Viennenſes, acceptâ à Cæſare omnium injuriarum veniâ, in verba ejus jurarunt, inque Principem cum hæredibus maſculis receperunt. Aderant Pontificij Legati, qui ſolemni ritu omnes ab interdicto ſolverunt. Conſenſit in omnia Sigiſmundus, & Cæſari patrueli ſuo libenter ceſſit, ut à Pontifice abſolveretur. Pacatis in Auſtria rebus, Fredericus Romam iterum perrexit, pridieque Natalis Chriſti appulit, ubi eâ nocte, faciente ſacra Pontifice, Evangelium de Cæſaris Auguſti edicto, exemplo Sigiſmundi Imperatoris, decantavit. Actum illic de expeditione in Turcam & bello Bohemico quidam putant, alij voti causâ iter iſtud ſuſceptum. Reverſus in Germaniam, Treviros proficiſcitur, ubi Carolum Audacem Burgundiæ Ducem reperit. Hic filiam ſuam Mariam Maximiliano Frederici filio ſponſam addicebat, petebat autē, ut Burgundiæ Rex, Legatus & Vicarius Imperij declararetur. Sed Cæſar nihil niſi ex Principum Electorum, omniumque Ordinum Imperij judicio reſponderi poſſe judicavit. Inde in Vbios abijt, Coloniæque Agrippinæ excipitur. Ingens per id tempus pro Epiſcopatu Colonienſi

lonienſi contentio inter Rupertum Bavarum, & Hermannum Haſſiæ Lantgravium erat, quam componere Cæſar cogitabat. Rupertum protegebat Carolus Burgundus, qui propterea in Vbios magno cum exercitu movit, & Noveſium arctiſſimè cinxit, in qua urbe Haſſus tum erat. Eòdem venit Cæſar maximis inſtructus copijs. Poſt aliquot autem martis ancipitis dimicationes, pax tandem conſtituta, ut Ruperti controverſia Pontificis arbitrio relinqueretur. Tradunt aliqui inter occultas pacis hujus conditiones hanc fuiſſe, ut Maria Caroli filia unica Maximiliano deſponderetur, additâ provinciarum omnium hæreditariarum dote, ſi Carolus nullâ aliâ prole auctus moreretur. Duxit verò Mariam Maximilianus, ſed demùm poſt Caroli ad Nanceum in Lotharingia mortem. Anno CIↃ. CCCC. XCIII. Fredericus, pace in Auſtria Germaniaque conſtitutâ, Lintzij graviter decumbere cœpit. Alterum crus illi paulò ante ſphacelo affectum reſcindi 7. grangrenâ Medici curarant. Quod cùm inſpexiſſet, quæſiviſſe feruntur, Quid inter Cæſarem & ruſticum quemvis intereſſet? ac ſimul reſpondiſſe, Sanum ruſticum ægroto Cæſare longè eſſe feliciorem. Non multò pòſt rebus ex ultimâ voluntate conſtitutis obijt XIII. Cal. Septemb. anno ætatis ſuæ LXXVIII. Imperij LIII. adeo nemo diutius poſt Auguſtum imperavit. Corpus ejus Nea-
polim

polim in Auſtria delatum apud uxorem conditũ eſt. Filios tres in prima pueritia amiſit, ſuperſtitem unum Maximilianum reliquit. Illius tempore Typographica ars reperta fuit, cujus inventor Argentorati quidam Joannes Gutenbergius anno CIↃ. CCCC. XL. ſed veriſimilius eſt Moguntiæ primo inventam, ut plures tradunt.

De MAXIMILIANO I. *Cæſare.*

MAXIMILIANVS Frederici Quarti & Eleonoræ Luſitanicæ filius, natus eſt Neapoli Auſtriæ anno CIↃ. CCCC. LIX & vivo adhuc parente in Romanorum Regem electus, Aquiſgrani coronatus eſt. Vxorem duxit Mariam Caroli Audacis Burgundiæ Ducis filiam, cum qua Burgundiam & Belgicas provincias, quòd unica hæres eſſet, ad Principum Auſtriacorum familiam adduxit. Eamdem cùm ambiviſſet Ludovicus undecimus Galliæ Rex pro filio ſuo Delphino, Ducatum Burgundiæ illi eripuit, & longum inde utroque pro Belgio bellum Sed Regē Maximilianus ſplendidis aliquot victorijs repreſſit, & Belgium tutatus eſt. Obijt immaturâ morte Maria ex equi caſu. Nã cum in venatione, currentibus Nobilibus alijs, ab effreni & laſciviente equo excuſſa fuiſſet, & in fervore læſa, dolorem diu diſſimulavit, vulnuſque pudica Princeps texit, ne marito triſtitiam

iam ingereret, donec eam fati neceſſitas ex hac vitâ ſubſtraxit. Tantæ caſtitatis ac verecundiæ matronalis erat, ut coram ea verbum impudicum proloqui, aut nutu geſtuque deſignare nefas eſſet. Ex hac filium unum Maximilianus ſuſcepit Philippum Pulchrum, Burgundiæ Ducem & Belgarum Principem, qui, ductâ Joannâ Ferdinandi & Iſabellæ Caſtellæ & Aragoniæ Catholicorum Regum filiâ. familiæ Auſtriacæ Hiſpaniam, Siciliam Neapolim, Indiaſque tum in occidente inventas acquiſivit. Deceſſit in Hiſpania hic Philippus ſub inſuetâ novi cœli intemperie, anno ætatis XXVIII. relictis ex conjuge duobus filijs Carolo & Ferdinando, qui ambo poſtea Cæſares fuerunt, ac filiabus quatuor. Porrò Maximilianus, mortuâ Mariâ Burgundicâ, contraxerat ſponſalia cum Maria Blanca Galeacij Ducis Mediolanenſis filia. Hec cum Oenipontum deducta eſſet, poſtridie Idus Martias nuptiæ celebratæ ſunt. Geſſit deinceps varia graviſſimaque bella, quibus ancipitem expertus eſt fortunam, & nonnumquam adverſam. An. CIↃ.CCCC.LXXXVIII. cùm ſibi tutelam filij ſui Philippi Pulchri vindicaret, à Brugenſibus captus, novem menſibus in cuſtodia fuit, decollatis in ejus conſpectu nobilioribus ipſius Aulicis non ſine ſtupendo horrore. Timebatve, ne in ipſum quoque ignobile vulgus ſæviret. Liberatus tandem communibus Imperij viribus

per

per patrem Cæſarem fuit. Quo tempore cùm refugiente mari, celebrem portum ſuum Brugenſes amiſerint, emporio Antverpiam tranſlato, quidam divinam vindictam ſunt ſuſpicati. A morte patris prima Wormatiæ Comitia celebravit anno CIↃ. CCCC. XCV. ubi pacem publicam per omnes Imperij provincias ſancivit. Inſtituit deinde Cameræ Imperialis Tribunal, ad quod Ordinum Imperij lites deferrentur. Fuit ambulatorium primò, fixam poſtea ſedem Spiræ obtinuit. Iiſdem in Comitijs de Italico bello deliberatum. Carolus Octavus Franciæ Rex Andegavenſium jure Neapolim, & adjunctas illi provincias occupans, univerſæ Italiæ inhiabat. Cujus ſucceſſus cùm ſuſpecti eſſent, fœdere inito cæteri Principes, Pontifex, Ludovicus Sfortia, Veneti, Maximilianus & Ferdinandus Caſtiliæ Rex, arma ſumpſerunt, quibus coactus fuit Italiâ excedere, & in Galliam redire. ſic ad Aragonium Neapolis redijt. Hic verò jus ſuum ad Fredericum patruum tranſtulit, contra quem novum fœdus à varijs percuſſum amicâ compoſitione finem accepit. Exercuerunt bello Maximilianum poſthac Helvetij, ac deinde circa Spiram ruſtici. Vtrobique magnæ clades & Germaniæ calamitas; quemadmodũ & in bello Bavarico contra Philippum Palatinum Electorem. Secutum eſt bellum Venetum, quod decennio duravit, non ab hoc uno Imperatore,

ſed

d diverſis Principibus ſuſceptum. Hi fœdus Cameraci injerant, potiſſimùm ut formidabi-m Venetorum potentiam reprimerent frange-entque. Denuntiarant Veneti bellum per Le-atos ſuos Maximiliano his verbis: *S. P. Q. Ve-etus indicit bellum Maximiliano.* Quibus Cæſar eſpondit, *Ite & gerite bellum ſimili ſtultitiâ, quâ ndixiſtis* Hoc autem bello majorem rerum ſua-um jacturam Veneti fecerùnt, quàm ullo um-quam alio. Non illis aliud perfugium, quàm n clementia Maximiliani. In Hungaria cum Uladiſlao ita compoſuit, ut uterque Regis Hun-ariæ titulum retineret, & ſi nulla Uladiſlao naſcula proles eſſet, ipſe tunc, & inpoſterũ Au-ſtriaci ſuccederent, fide jam ante factâ. Interim quę erant Auſtriacę ditionis loca per vim avul-a recuperavit. Anno CIↃ. IↃ. XVIII. Selymus Turcarum Imperator, ſuperatis in Oriente re-gnis, ad Europæ imperium aſpirabat, parato errâ marique bello. Indixit propterea Cæſar Ordinum comitia Auguſtæ. Placuit ut in belli ocietatem Galli & Veneti adducerentur. Pon-tifex, Hiſpanus, Veneti claſſe Græciam invade-rent, Cæſar Germaniæ auxilijs, item Galliæ & Angliæ ex Pannonia Turcam aggrederetur. Et verò erecta erant omnium ad hoc bellum ſtudia; ſed hæc conſilia utriuſque Maximiliani & Selymi mors interrupit. Nam Cæſarem lenis & lenta febris primum invaſit, poſtea cùm malè

cautus

cautus medicus ac tempore non opportuno pharmacum dejectorium propinaſſet, ferre vim morbi ampliùs non potuit. Itaque XII. Januarij anno CIↃ. IↃ. XIX. anno ætatis LIX. Imperij XXXII. apud Velſium Auſtriæ oppidum è vivis exceſſit; Neapoli,ut teſtamento voluerat, ita ſepultus ſub aris, ut ſacrificans ſacerdos ſupra ejus pectus conſiſtat. Non accidit hæc inopinata mors Cæſari. Nam triennio ante funebrem è querneo ligno capulum arcæ viatoriæ incluſum circumferri ſecum juſſerat, atque in illum corpus ſuum ſine exenteratione oppletis vivâ calce naribus, ore, auribuſque deponi. Plurimis etiam ante mortem diebus, rejectis titulis omnibus Maximilianus tantum appellari voluerat. Hic eſt, qui Archiducis Auſtriæ titulum titulis alijs ſuis ſemper conjunxit, ac quamvis Auſtriam ſolus poſſideret, commune iſtud nomen omnibus ex familia Auſtriacâ ortis eſſe permiſit, ut etiamnum videre eſt. Id non ſine ſtupore viſum, cum à prima infantia pœnè elinguem mutumque ab omnibus judicatum, poſtea verò circa duodecimum ætatis annum difficultate ſublatâ promptiſſimè loqui & facundiſſimè potuiſſe Latinè, Germanicè, Italicè, Hiſpanicè, Gallicè. Ejus auſpicijs & favore elegantiores diſciplinæ ita ſuccreverunt, quaſi tum primùm orirentur. Quippe doctis viris delectabatur, quorum plurimi ex Germaniæ Biblio-

thecis

thecis nondum anteà notas Hiſtorias eruerunt. Cæſarea prorſus in eo majeſtas eluxit, adeoquè inter Principes alios etiam triginta, ab externis Cæſar agnoſcebatur. Memoria verò tam tenax, ut quem ſemel allocutus fuiſſet, deinceps ſemper agnoſceret. Suppliciorum loca præteriens hâc formulâ, *Salve Iuſtitia*, venerabatur. Ita pudicus fuit, ut nemo umquam detectum ejus corpus uiderit. Ad lectum iturus ſeipſum exuebat deponebatque, ac teſtamento inſuper cavit, ne caligæ ipſi aut aliud quicquã induceretur. Planè bello acerrimus, virtute eximius, animo ſemper maximus, conſilio Dux, miles manu fuit, pientiſſimus, & Catholicæ Religionis amantiſſimus.

De CAROLO V. *Imp.*

AVo ſuo Maximiliano Carolus ſucceſſit, & in Auſtria & in Imperio. Pater illi fuit Philippus Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Princeps Belgarum, Rex Caſtellæ Maximiliani Cæſaris filius. Mater Joanna Ferdinandi Magni Aragoniæ Regis & Eliſabethæ Caſtellæ Reginæ filia. Natus eſt Gandavi, quæ Vrbs Flandriæ Metropolis eſt, anno ſæculari CIↃ. IↃ. die XXIV. Februarij, qui Divo Matthiæ eſt feſtus, tertiâ poſt mediam noctem horâ. Baptiſmo ejus teſtes adfuerunt duæ Reginæ viduæ, Margareta Britannica Edvardi IV. Angliæ

Regis

Regis ſoror, & Margareta Aragonica; duo Dynaſtæ, Guilielmus Croyus, & Comes Bergenſis. Hic primæ dignitatis titulum accepit, Ducis Luxemburgenſis. Primum ſtudiorum puerilium locum Mechliniam habuit, poſtea Lovanium, in cujus Arce adoleſcens habitavit. Inſtructor datus illi fuit Adrianus Florentius, Ultrajectinus, ſui temporis Theologorum Maximus, in quem ita ſe gratum exhibuit, ut primò illum Epiſcopum Dertuſenſem, poſtea Hiſpaniarum Adminiſtratorem fecerit, demûm Cardinalium collegio adſcribi curâvit, ex quo ad Pontificatum poſt Leonis X. obitum evectus eſt, & Adrianus Sextus dictus. Morum informatorem habuit GuilielmumCroyum, primum Arſchoti Marchionem, & Curiæ Belgicæ Magiſtrum. Fuit generoſiſſimum in illo ingenium, ſed ad arma potiùs civilemque prudentiam, quàm ad ſingularem eruditionem erectum. Id ita cognitum fuit. Cùm octennis Lucæ cuidam Pictori, qui ejus effigiem delineabat, Mechliniæ adſtaret, & ab ea curioſos oculos vix averteret, ſuſpenderunt ad proximum parietem quoddam telum, quod ubi ille animadvertit, non deſtitit in illud oculos conijcere, mirificè delectari, & ſibi petere. Vix quindecim annos natus Belgicarum provinciarum adminiſtrationem ſuſcepit; decimo ſeptimo ætatis anno Hiſpaniarum Rex eſt inauguratus, decimo nono Romanorum

Imperator

Imperator ſummo Principum conſenſu electus, recuſante tum quidem Saxoniæ Duce, cui primò Imperium Electores deferebant, & qui Carolo libenter ceſſit tamquam potentiori. Quam ob causam ad aliorum ſuffragia Trevirenſis Elector acceſſit, qui Franciſco I. Galliæ Regi, Imperij competitori favebat. Erat tum in Hiſpania, ubi electionis de ſe factæ per Palatinum litteras accepit, confeſtim in Belgium venit. Primam Imperij coronam Aquiſgrani ſuſcepit; alteram Bononiæ à Clemente Pontifice, tantâ celebritate, quantâ umquam vix ullâ. Suo aſpectu omnes percellebat. Siquidem corpore erat juſtæ ſtaturæ, ad majeſtatem compoſito, capillitio aureo, barbâ ſubruſâ, merito parum eminente, naſo aquilino, vultu modeſtiâ virili pleno & verecundo. Si ſecundùm virtutes ſpectaretur, pietas in eo ita eluxit; ut quotidie mane tres horę quadrantes orationi dederit; rei divinæ ſacrificium numquam omiſerit; etiam belli tempore; & inter medias maris tempeſtates niſi ſemel, ut nonnulli volunt; Canonicas etiam Sacerdotum preces recitârit. Cibus illi potuſque ad certas ferè uncias ſtabat, potiuſque obvijs cibis, quàm arte paratis delectabatur. Epulabatur ſummo ſemper in ſilentio & omnibus ferè ordinibus ſpectantibus. In veſtitu nullum faſtum quærebat. Vnde cùm ſemel Mediolanum venturus eſſet, & omnes ut eum in Cæſarea purpura vi-

 derent

derent, eſſent effuſi, lanceâ indutus veſte, non ſine omnium ſtupore intravit. Duos liberos extra conjugium ſuſcepit; in conjugio nullam incontinentiæ ſuſpicionem fecit. Adeoque ab adulterijs abhorrebat, ut, cùm Farneſium copiarum Pontificiarum Ducem matronas quaſdam violaſſe intelligeret, capulo enſis manum admovens dixerit, Vtinam adeſſet, hâc illum manu confoderem; poſtea dimiſit. Quòd attinet ad ejus bella, nullus umquam aut Rex, aut Imperator tam multa tamque difficilia bella tam felici ſucceſſu geſſit, qui quadraginta illuſtres victorias retulit, ſupra ſeptuaginta bella ad optatum exitum deduxit, caſtella cepit ſupra centum millia, urbes decies octingentas, naves ſupra decies octingentas, numquam acie victus, numquam caſtris exutus. Bella in varijs fuere provincijs. In Hiſpania quatuor, quibus rebelles quoſdam domuit. In Italia octo, & quidem Papienſi ad Ticinum prælio Franciſcum I. Franciæ Regem cepit. In regno Neapolitano duo, quibus ſibi regnum iſtud ſubjugavit. In Germania ſex, ubi bello Saxonico Fredericum Saxonem captivum abduxit, & menſibus non octo Germaniam ſibi ſubjecit. Solymannum Turcarum Imperatorem bis Viennenſem obſidionem relinquere coëgit, nunc trecentis, nunc ſexcentis millibus armatum, & quidem ſolo ſui adventùs rumore. Atque ille cùm reprehenderetur, quòd

Caró-

Carolum minoribus copijs inſtructum timeret, *Non Carolum*, inquiebat, *timeo, ſed fortunam eius*. In Belgio novem, in Geldria ditioneque Juliacenſi ſeptem, quibus Belgio Geldriam adjecit. In Indijs plurima, ubi octodecim prælijs octodecim Reges ſuperavit. Contra piratas etiam multa, quibus illos ex omni ferè mari expulit. In Africa grave illi bellum fuit, ubi Tunetum antiquā Carthaginem in ſuam poteſtatem redegit, & Muleaſſem Regem contra Barbaroſſam reſtituit, deletis ducentis peditum millibus, equitum ſexdecim. In Bohemia rebelles ad Imperij obedientiam adegit. Inſuper in Allobrogia tria, ac deinde Dalmaticum & Provinciale. In quibus omnibus conſilium, vigilantiam, celeritatem, fortitudinem, omnes admirati fuerunt. Etſi verò fortunatiſſimus feliciſſimuſque eſſet, animo tamen in pacem protendebat, unde dicere frequenter ſolebat. Quòd ſi eveniret, ut totum Franciæ regnum occuparet, illud ſuo Regi reſtitueret, ac tantùm ſibi, quæ ad majores ſuos jure pertinuiſſent, Burgundiæque Ducatum ſummâ injuriâ ſuæ aviæ ereptum, retineret. In Wormatijs quoque Comitijs cùm intelligeret bellum ſibi in Belgio, Hiſpania, Italiaque moveri, palam coram Imperij Principibus teſtatus fuit, ad bellum & arma ſumenda invitum ſe cogi. Interim rem omnem Deo ſe committere; vel idcircò autem maximè ſe dolère, quòd Turcis in Germaniam aditus aperiretur. Nihil

proinde illi gratius fuiſſet, quàm Galliæ Regem in belli adverſus Turcas ſocietatem adducere. Ejus exercitus cùm, expugnatâ urbe Romanâ, Clementem ſeptimum Pontificem maximum cepiſſet, idque ipſe in Hiſpania tum agens intellexiſſet, nullum lætitiæ ſignum edi voluit, optimiſque quibus potuit conditionibus dimitti curavit. Fuit hic qui Carolum Bononiæ coronavit. Geldriæ Ducem Guilielmum ubi ad ſua genua ſupplicem vidit, protinus ignovit, bonis reſtituit, traditaque ei nepte ſuâ Mariâ Ferdinandi I. filiâ, affinitatem contraxit. Eamdem benignitatem expertus fuit Fredericus Palatinus Septemvir, qui cùm faviſſet adverſus Carolum Proteſtantibus, eiſque auxilia aliqua miſiſſet, ad eum tandem venit, veniam petijt, impetravit, inque amicitiam receptus fuit. Quippe ingenua confeſſio veniam meretur. Nec fuit alterius animi illa lenitas, quàm intrepidi & nihil ſibi timentis. Vnde cùm adverſus eum tot undique hoſtes exſurgerent, magno intrepidoque animo dicebat, *Quò plus periculi, eò plus gloriæ erit.* Ita quoque animum retinebat, ut, ſeu læta ſeu adverſa nuntiarentur, nemo ex ejus vultu intelligere poſſet. Imò cùm ad Ingolſtadium caſtra metatus ab hoſtibus circumcingeretur, atque uno die ſex majorum globorum millia in ejus caſtra tormentis æneis miſſa fuiſſent, adeoque ipſum ejus tentorium perforatum, nec locum,

cum, nec vultum mutavit. Monentibus amicis, ut ſibi ſaltem caveret, hoc tantùm reſpondit, *Nullum Imperatorem umquam tormenti ictu peryſſe.* Ita conſtantiâ, riſuque fortunam contemnebat. Vltimum ferè illi humanorum operum Metenſis obſidio fuit, quam cum centum militum millibus aggreſſus propter hyemis & peſtilentiæ incommoda dimiſit. Hic demùm illi adverſata fortuna fuit. Quamquam de ejus virtutibus, quia nemo ferè Hiſtoricorum tacet, tacendum hîc eſt. Devictis alijs ſeipſum tandem vicit. Abdicavit enim ſe demùm Imperio, & illud ex Principum Electorum voluntate fratri Ferdinando reliquit, in quem jam antea Auſtriam aliaſque hæreditarias provincias tranſtulerat. Deinde Philippo filio unico Belgium & Burgundiam uno die, altero Hiſpaniam, aliaque tot regna & Indias conceſſit. Quòd ubi fecit, in Hiſpaniam profectus, in Divi Juſti Monaſterio cum duodecim tantùm famulis ſeceſſit, non alio conſilio, quàm ut Deo vacaret, & ſe ad migrandum ex hac vita componeret. Hic primò edixit, ne Cæſar, ne Auguſtus, ſed Carolus tantùm appellaretur. Biennio in iſtâ ſolitudine fuit, quo tempore fundendis ad Deum precibus dies noctesque impendebat. Reficiebatur ferè quotidie ſacrâ ſynaxi. Tandem obijt, & ultima vox illi fuit, *In me mane, ô Chriſte, ego in te maneo.* Quinque ante obitum annis, imitatus avum

Maximilianum, Sarcophagum extrui curârat, in quo omnis funerea ſuppellex, & hunc memor mortis ſecum circumducebat. Clauſit extremum diem XXI. Septembris, ipſo Divi Matthiæ die, anno cIↃ. IↃ. LVIII. ætatis quoque LVIII. Imperij XXXVIII. & quod excurrit. Sepultus Granatæ, juxta matrem, avum & aviam.

De FERDINANDO I. *Imp.*

FERDINANDVS Philippi I. Archiducis Auſtriæ, Hiſpaniæque Regis filius, Caroli V. Cæſaris frater, natus eſt Compluti (aliàs Molinæ) in Hiſpania XII. Martij, anno cIↃ.IↃ.III. educatus apud Ferdinandum Catholicum avum ſuum. Accepit à fratre ſuo Carolo utramque Auſtriam, cum ditionibus alijs hæreditarijs. Vxorem duxit Annam Jagellonicam, Vladiſlai Hungariæ & Bohemiæ Regis filiam unicam. Sublato autem in bello contra Turcas Ludovico affine, tam per fœdus connubiale, quàm per pacta conventioneſque cum majoribus ſuis initas, utrumque regnum Hungariæ & Bohemiæ cum Sileſia, Moravia, & Luſatia, alijſque ditionibus adijt. Et quidem Bohemiæ Rex inauguratus eſt Pragæ XXIV. Februarij anno cIↃ. IↃ. XXVII. Inde XXVIII. Octobris eodem anno ad Albam Regalẽ Hungariæ coronam ſuſcepit. Hoc modo utrumque

regnum

regnum jure optimo ad familiam Auſtriacam rediit, à qua poſt mortem Ladiſlai Auſtriaci fuerat ſeparatum. Anno CIↃ.IↃ. XXIX. cùm Turca Viennam obſediſſet, auxilio fratris ſui Caroli, eum urbe, Auſtriâ, Hungariaque relictâ, redire Conſtantinopolim cum ignominia coëgit. Anno autem CIↃ.IↃ.XXXI. Rex Romanorum electus V. Januarij Coloniæ, & Aquiſgrani XI. Januarij coronatus fuit. Reclamavit tum Saxo Septemvir, quòd Ferdinandus in Hiſpania natus cenſeretur externus, & Coloniæ, non Francofurti electus, contra Bullam auream, fuiſſet. Anno demùm CIↃ. IↃ. LV. ſtudio publicæ tranquillitatis per Imperium ſtabiliendæ, pacem Religionis cum Cæſare fratre promulgari permiſit. Sequenti autem anno, reſignante Carolo, Imperium pleno jure, conſentientibus Electoribus Principibus, adminiſtrare cœpit. Multa per Hungariam contra Turcas & Joannem de Zapolia, ejuſque filium Joannem Sigiſmundum Tranſylvaniæ, ut appellant, Vayvodam, qui Sultani cliens erat, & ejus auxilio Hungariæ regno inhiabat, fortiſſimè geſſit. Wittembergicum Ducatum Uldalrico reſtituit, ſed titulum & ſucceſſionis clientelæque jus ſibi ſuiſque retinuit. Cæterùm Princeps fuit Religionis Catholicæ ſtudioſiſſimus, qui tum vehementer animo angebatur, cùm eam adduci in controverſiam apud nonnullos videbat. Viris

eruditis ita delectabatur, ut eos non minùs ad majeſtatis ſuæ æſtimationem eſſe diceret, quàm illuſtri genere natos. Latino ſermone utebatur, Ciceronis Officiorum libro perpetuò legebat, ex iiſque documenta citabat: eloquentiam in aliis, non in Regibus æſtimabat, dicebatque non Regum eſſe dicere, ſed facere. Nec immeritò hoc ſymbolum aſſumpſit, *Fiat iuſtitia vel pereat mundus*; nam in judices ipſos inquirebat, & juſtitiam adminiſtrari accuratè volebat. Vt fieri hoc poſſet, certa quotidie hora omnibus conditionum omnium hominibus patebat. Semel cùm pauperculam mulierem ab aditu ſubmotam intellexiſſet, miniſtrum admiſſionalem graviter reprehendit, dixitque, *Si nos inopes à conſpectu noſtro excludimus, quid nobis ipſis ad Divinæ Maieſtatis tribunal accedentibus eveniet?* Militem ſemel, qui tria tantùm verba Cæſari loqui deſiderabat, eâ lege aliis impeditus admiſit; & ille cùm tria tantùm verba dixiſſet, *Solutionem, aut dimiſſionem*, reſpondit, *non dimiſſionem, ſed ſolutionem*, curavitque illi ſtipendia perſolvi. Fidei adeò tenax fuit, ut cùm militi feudi alicujus poſſeſſionem promiſiſſet, & ſenatores contenderent tam amplum feudum non eſſe militi conferendum, Si, inquit, ſubeundum eſt damnum, præſtat ut bonorum potiùs, quàm fidei jacturam faciamus. Si quid ei præter exſpectationem eveniret, hoc verſu ſe conſolabatur, *Accidit in puncto,*

puncto, quod non ſperatur in anno. Edixerat ſub oculorum amittendorum pœnâ, ne ruſtici venando feras perſequerentur. Deprehenſo cuidã ruſtico parcens, nolo, inquit, belluam ratione deſtitutam cum homine conferri. Volebat quippe metum inijcere, non hominem perdere. Interim cùm adverſâ valetudine afficeretur, ne in incerto ſucceſſor eſſet, id egit, ut filius ejus Maximilianus indictis Francofurti Comitijs Romanorum Rex deſignaretur. Id factum fuit anno CIↃ.IↃ.LXII. ad VIII. Cal. Decemb. Nec defuerunt Regum & Principum omnium Legati, qui ei gratularentur. Eodem anno Tridentinum Concilium finem accepit. Annis duobus pòſt graviſſimæ inter Daniæ & Sueciæ Reges controverſiæ finitæ ſunt, & Gallia aliæq; ditiones tranqnillitatem pænè inauditam invenerunt. Ipſe tum Cæſar levi primùm febre, eâ paulatim incrementa ſumente, & accedente aquâ intercute, obijt ipſo Divi Jacobi feſto die XXV. Julij anno CIↃ.IↃ.LXIV. Imperium ſolus annis ſeptem adminiſtrarat. Ex Anna uxore XV. liberos ſuſcepit, & in ijs quatuor maſculos, Maximilianum, natum anno 1527. Ferdinandum anno 1529. Joannem anno 1538. Carolum anno 1540. Filias undecim, quarum Eliſabetha ac deinde Catharina Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Regi nupſerunt; cæteræ Germaniæ aut Italiæ Principibus. Obligata eſt illi Germa-

Germania, quòd Turcis, tamquam murum ſe ſemper oppoſuerit, & Germaniæ per annos ſeptem continuam pacem præſtiterit, viris eruditis admodus delectatus.

De MAXIMILIANO II. Imp.

MAXIMILIANVS Archidux Auſtriæ natus eſt Viennæ anno CIↃ. IↃ. XXVII. patre Ferdinando I. Imperatore, matre Annâ Vladiſlai quondam Hungariæ & Poloniæ Regis filiâ. Puer adhuc cum illuſtribus aliquot adoleſcentibus in Hiſpaniam ad patruum ſuum Carolum Imperatorem profectus, cum filio ejus Philippo patrueli ſuo, ætate ferè æquali in bonis digniſque Imperio artibus educatus eſt. Prima militiæ tyrocinia ſub illo patruo ſuo Carolo poſuit bello adverſus Gallos anno CIↃ. IↃ.XLIV. ac biennio pòſt bello Germanico, ſeu Smalcaldico, duorum tum millium equitũ præfectus, quo tempore vix à latere Imperatoris recedens multarum virtutum illuſtria documenta dedit, præcipuiſque conſilijs interfuit. Indictis Auguſtæ Comitijs poſt captos fœderis Smalcaldici Duces, ea Carolus Cæſar Maximiliani oratione voluit inchoari, auditusque tum cum Principum admiratione fuit: Quia verò idem Carolus eum ſibi generum delegerat, illum iterum in Hiſpaniam miſit, ut abſente Philippo filio, quem in Belgium evocarat,

carat, ampliſſima Hiſpaniæ regna adminiſtraret, eoque tempore Cæſaris filiam Mariam uxorem accepit, ex qua ibidem duos liberos Mariam & Ferdinandum ſuſcepit. Inde ad Carolum, patremque ſuum Ferdinandum, tum Archiducem Auſtriæ Romanorumque Regem, per Genuam & Tridentum, ubi Concilium Eccleſiæ paulò ante inſtauratum erat, reverſus eſt. Ac prima ejus tum cura fuit pacificatio Paſſavienſis, ut in Imperio tranquillitas conſtitueretur. Anno CIↃ. IↃ. LXII. die XX. Septembris Bohemiæ Rex coronatus eſt Pragæ. Inde Francofurti XXIV. Novembris Rex Romanorum renuntiatus, ultimo ejuſdem menſis die, in præſentia patris Ferdinandi & Principum Electorum, coronatus eſt. Sequenti demùm anno CIↃ. IↃ. LXIII. die octava Septembris Hungariæ Regnum Poſonij ſuſcepit. Tum anno CIↃ. IↃ. LXIV. mortuo jam patre, Imperium cœpit adminiſtrare. Adeò uno vixdum exacto anno tres ordine coronas accepit, quod Alberto II. Cæſari etiam evenit. Ante omnia de rebus Hungaricis ſollicitus ſub initium anni CIↃ. IↃ. LXV. Turcis ſe animosè oppoſuit. Belli Ducem conſtituit Lazarum Schuvendium, rebus fortiter geſtis clarum, qui proſpero victoriarum curſu multa loca in Cæſaris poteſtatem redegit. Quo ſucceſſu territus Selymus II. Imp. Turcarum pacem cum Maximiliano in annos octo fecit. Et hic deinceps

çeps totum ſe ad paçandum Imperium contulit, cùm ut imprimis pax aliqua Religionis ſervaretur, tum lacrocinia punirentur, jus adminiſtraretur, lites breviſſimo tempore finirentur. Anno CIↃ. IↃ. LXXV. Poloniæ Rex à diſceſſu Henrici Valeſij electus ab una Procerum parte fuit; ſed quia diverſa erant Procerum omnium ſtudia, regnum adire noluit, quod tunc Stephanus Battorius accepit. Ipſe verò filium Rudolphum ante mortem ſuam Hungariæ, deinde Bohemiæ, ac tum Romanorum Regem coronari curavit, magno Imperij & familiæ commodo. Obijt ipſe Ratisbonæ Comitiorum tempore XII. Octobris anno CIↃ. IↃ. LXXVI. longâ ægritudine confectus, ſicque quaſi inter Ordinum manus animam Deo reddidit. Ex conjuge ſuâ Mariâ Caroli Cæſaris filiâ XVI. liberos ſuſcepit. Ex ijs ſuperſtites patri fuére Rudolphus II. poſt eum Imperator; Erneſtus, qui in Belgio obijt; Matthias Cæſar poſtea factus; Maximilianus Ordinis Teutonici Magiſter; Albertus primò Cardinalis ac deinde Burgundiæ Belgarumque Princeps, Uenceſlaus Eques Melitenſis, qui decimo ſeptimo ætatis anno è vivis exceſſit. Anna major natu filia Philippo II. Hiſpaniarum Regi; nupſit; Eliſabetha Carolo IX. Francorum Regi. Margareta, quæ in Diſcalceatarum Madriti Monaſterio ſanctè vixit. Reliqui liberi in pueritia obiêre. Moriens

egre-

egregium fidei ſuæ dedit documentum. Nam cùm ab Epiſcopo Neoſtadiano interrogaretur, an in fide Chriſti mori vellet? Non aliter, reſpondit. Quæcumque adverſitas eveniret, non aliud, quàm ſuum Symbolum pronuntiabat, Dominus provideb it. Cùm quidam ei gratularetur, quòd annum climactericum ſuperaſſet, mihi, inquit, omnes anni climacterici ſunt. Viris doctis admodum delectatus nobilem ijs Bibliothecam exſtruxit, & varijs marmoribus, ſignis, picturis exornavit. Exteros aliquâ arte excellentes præmijs, privilegijs, undequaque invitavit. Prandij tempore cum adſtantibus lætos ſermones miſcebat, à prandio quoſvis omnium ordinum admittebat, qui alloqui, aut porrigere libellos ſupplices volebant, quibus placidè & ſuâ linguâ reſpondebat. Litigantes monere ſolebat, ut utrimque aliquantulum de jure ſuo cederent, ſicque pacificè componerent. Latinè non tantùm loquebatur, ſed etiam expeditè, eleganter & diſertè. Aſſentatoribus numquam aurem præbere voluit In fœderibus amicitijſque jungendis tardus fuit, in ſervandis ſedulus. Privatas injurias publicæ ſaluti condonabat, & bonum Principem à bono patre non differre debere ſæpè dicebat. His & alijs virtutibus cùm præditus eſſet, multi eum amorem & delitium generis humani appellarunt.

De RVDOLPHO II. *Imp.*

RVDOLPHVS ejus nominis ſextus Archidux Auſtriæ, Maximiliani II. filius, natus eſt Viennæ XVIII. Julij anno CIↃ. IↃ. LII. educatus apud Philippum II. in Hiſpania cum fratre ſuo Erneſto. Anno CIↃ. IↃ. LXXII. XXIX. Septembris Poſonij Rex Hungariæ, & annis tribus pôſt Bohemiæ Rex coronatus. Eodem anno, nimirum CIↃ. IↃ. LXXV. Calend. Novembris, vivo adhuc parente Cæſare, Ratiſbonæ Romanorum Rex & Imperator ejus nominis ſecundus electus coronatuſque; atque adeò à patris morte eidem in utroque regno & Imperio ſucceſſit. Bellum cum Turca quindecim annis geſſit, in quo multas inſigneſque victorias cùm fratrum ſuorum, tum aliorum Ducum virtute, reportavit. Sed novorum tumultuum occaſionem in Hungaria præbuit Botzkayana, qui ſe Battorei hæredem, & Tranſylvaniæ Principem nominabat. Hic factiones in Hungaria excitavit, nec deerant, qui illi faverent. Vnde primâ acie cæſo Rudolphi exercitu, componere cum illo non æquis conditionibus debuit. Eo poſtea veneno per Cancellarium ſuum ſublato, Matthias Rudolphi Cæſaris frater Vicarius Hungariæ conſtitutus, ad Hungariæ Regnum aſpiravit, pecuniamque ab Auſtrijs, ad reprimendos, ut prætexebat, equi-

tes

tes in Hungariâ Haiducos extorſit; nec multò pòſt coacto viginti millium veteranorum militum exercitu, litteras ad Bohemos ſcripſit, quibus, ut duos è qualibet civitate deputatos cauſam ſuſceptorum armorum intellecturos mitterent, monebat. Quod ubi Rudolphus intellexit, Cardinalē Franciſcum à Dietrichſtain, Nuntium Apoſtolicum, & aliorum Principum legatos ad Matthiam fratrem ablegavit, ut illū à propoſito diverterent. Hi cùm inducias tantùm octo dierum obtinuiſſent, & jam Praga obſideretur, Rudolphus extremis in anguſtijs conſtitutus cùm in urbe eſſet, promiſit ſe intra duos menſes Hungariæ coronam, juraque omnia antiqua reſtituturum & Bohemici regni titulum ceſſurum, cùm certa ſucceſſionis ſpe. Et verò Matthiæ adhuc in caſtris commoranti Hungariæ Regis ornamenta tranſmiſit, videlicet, enſem Regis Stephani, globum aureum, ſoccos, veſtem quandam antiquam, ſceptrumque. Quæ omnia Matthias magnâ pompâ ſuſcepit, & Pragam obſidione liberavit. Tandem etiam Rudolphus regna omnia provinciaſq; hæreditarias in fratrem Matthiam tranſtulit, & anno CIↃ. IↃC.XII. ætatis LX. vitam mortalem exuit, cùm imperaſſet annis XXXVI. Sepultus Pragæ. Nullam prolem legitimam reliquit, qui nullum matrimonium contraxerat. Fuit in Rudolpho ea vultus majeſtas cum ſeveritate conjuncta, ut

Orato

Oratores facundiſſimos ſolo aſpectu perterreret, & obmuteſcere faceret. Ejus tempore magna pro Archiepiſcopatu Colonienſi exorta controverſia fuit. Nam Archiepiſcopus Truchſeſius cùm hæreticis adhæreret, ac Religionis libertatem, ſaltem Catholicæ veteris, & Auguſtanæ Confeſſionis urgeret, & Agnetem Joannis Georgij Mansfeldiæ Comitis filiam duxiſſet, multi in hanc & illam partem Principes venerunt. Et quidem cùm Pontifex, Imperator, Alexander Dux Parmenſis Belgij Gubernator, alijque apud Capitulum Cathedrale egiſſent, ut Archiepiſcopus alius eligeretur, electus eſt Erneſtus Bavarus Alberti filius, ſicque omni dignitate privatus Truchſeſius eſt. Calendarium Gregorianum recipi in Bohemia provincijſque hæreditarijs juſſit, ſed Saxo alijque Proteſtantes rejecerunt. Anno CIↃ. IↃ. LXXXVI. defuncto Stephano Battoreo, Proceres aliqui Poloni Maximilianum Rudolphi Cæſaris fratrem in Regem elegerant, alij Sigiſmundum Joannis III. Suecorum Regis, & Catharinæ Jagellonicæ filium. Inde bellum, ſed prælio victor Sigiſmundus, victus captuſque Maximilianus fuit, at tandem certis conditionibus libertati reſtitutus. Anno CIↃ. IↃ. LXXXXII. pro Epiſcopatu Argentoratenſi magna omninò controverſia extitit. Electi erant à Capitulo diverſorum ſuffragijs Cardinalis Carolus à Lotharingia,

& Joannes Georgius Brandeburgicus. Tandem poſitis armis, Rudolpho Cæſare agente, diviſus eſt inter utrumque Epiſcopatus. Multa deinceps egit, ut adverſus Turcas bellum promoveret, item contra Batorium & Tartaros; nec defuerunt Imperij Ordines. Conatus etiam Batavos ad Regis ſui obedientiam reducere, cùm ejus frater Albertus Belgium adminiſtraret, ſed fruſtrà.

De MATTHIA I. *Imp.*

MATTHIAS Archidux Auſtriæ natus eſt Viennæ die XXVII. Februarij, anno CIↃ. IↃ. LVII. Anno autem CIↃ. IↃ. LXXVII. cùm jam eſſet annorum viginti, evocatus à rebellibus Belgij Ordinibus, inſcio fratre Imperatore, Viennâ clam diſceſſit, Antverpiamque pervenit, ubi die XVII. Decembris Belgij Gubernator, adjuncto illi Vicario Orangiæ Principe, drataque certâ imperandi formulâ, renuntiatus fuit. Erat tum Bruxellæ, cùm Ordinum exercitus à Joanne Auſtriaco non procul à Namurco deletus fuit; cujus cladis accepto nuntio, Bruxellâ Antverpiam receſſit, velut in locum tutiorem. Poſtea cùm intellexiſſet Alenſonium Ducem, Galliæ Regis fratrem, ab Ordinibus evocatum, eique Belgij adminiſtrationem oblatam eſſe, ſe verò malè ab ijſdem tractari, ac ſe ſolo nomine, reverà autem Orangium

gium imperare, inſuper malè Philippum Regem ejus in Belgium adventum ferre, & Imperatorem Rudolphum graviſſimè apud omnes de ejus clanculario diſceſſu conqueri, anno CIↃ. IↃ. LXXXI. in Germaniam & ad fratrem redijt. Annos aliquot pòſt cùm Erneſtus Archidux ejus frater conſtitutus eſſet à Rege Philippo Belgij Gubernator, ſubrogatus illi in Hungaria Auſtriaque Cæſaris Vicarius fuit. Et quidem in Hungaria ad Albam Regalem magnâ clade Turcas affecit, Noviogradum cepit, Sinanem Baſſam ad Camorram fugavit, Strigonienſem Arcem & Vicegradum Cæſaris poteſtati ſubiecit; Budam fruſtrà oppugnavit. Tandem anno CIↃ. IↃC. VI. Cæſaris nomine cum Turcarum Imperatore tranſegit, pactus in annos viginti pacem. Anno CIↃ. IↃC. VIII. Poſonij in Æde Divi Martini coronatus Hungariæ Rex fuit; & anno ejuſdem ſæculi undecimo Bohemiæ coronam, cedente Rudolpho Cæſare, Pragæ accepit. Demùm anno CIↃ. IↃC. XII. poſt mortem ejuſdem Cæſaris fratris ſui die III. Junij Francofurti electus Romanorum Rex & Imperator, ibidem coronatus fuit. Præſentes erant quatuor Electores Principes, & Palatinus, ſed adhuc puer, cum ſubſtituto Palatinatus adminiſtratore, qui ſuffragium tulit. Brandeburgicus propter impedimenta Legatum miſerat, qui non in proprijs veſtibus comparuit. Conjugem habuit

buit Annam agnatam ſuam, propatrui ſui Ferdinandi Tyrolenſium Principis filiam, ex qua nullos liberos reliquit. Quam ob cauſam, conſentiente Alberto Belgarum Principe, qui proximus regnorum ejus & Provinciarum hæres erat & frater, Ferdinando II. poſtea Cæſari, quicquid poſſidebat, reſignavit. Obijt anno CIↃ. IↃC. XIX. Martij die XX. cùm ætatis annum ageret ſexageſimum tertium. Sepultus eſt in Capucinorum templo. Imperavit annis ferè ſeptem. Ejus tempore, & quidem cùm adhuc Francofurti Imperium acciperet, Colonienſium deputati de Mulhemio municipio, quod in civitatem ab hæreticis erigebatur, magno urbis Colonienſis damno, conqueſti ſunt; & Ambroſius Spinola ad Cæſarem à Philippo III Hiſpaniarum Rege paulò pòſt miſſus, ſuam operam ad illud deſtruendum obtulit, acceptoque tandem mandato deſtruxit. Effecit quoque Matthias, ne quid juris in Tranſylvaniam Turcarum Imperator prætenderet, & ut Daniæ Rex Lubecenſium libera commercia non turbaret. Coërcuit etiam Judæorum Francofurti inſolentiam, & quorumdam civium adverſus Magiſtratum ſuum ſeditionem. Sub initium anni CIↃ. IↃC. XVI. X. Januarij Auguſta Cæſaris uxor Anna ſolemni ritu Bohemiæ Regina coronata fuit. Eodem anno, cùm indicto à Venetis adverſus Ferdinandum Archiducem Græ-
 tienſem

tienſem bello,clam in Auſtria viciniſque provincijs Duces Equiteſque conquirerentur, mandavit Cæſar ſeveriſſimo Edicto, ſub vitæ fortunarumque jacturâ, ne quis ad Venetorum caſtra tranſiret. Diſplicuit illi etiam, quod Anſeaticæ civitates fœdus cum rebellibus Belgij Ordinibus non ſine Imperij præjudicio percuſſiſſent; qua de re poſtea per Legatos ſuos illæ ſe purgare conatæ ſunt. Incœpit ſub eo quoque Ferdinandi Archiducis in Bohemia regnum, de quo poſtea.

De FERDINANDO II. *Imp.*

FERDINANDVS II. natus Græcij die nona Julij anno CIↃ. IↃ. LXXVIII. patrem habuit Carolum Archiducem Auſtriæ, Ducem Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Ferdinandi Primi Imp. filium, matrem Mariam Alberti Bavariæ Ducis filiam. Vxorem duxit primis nuptijs Annam Bavaram Guilielmi filiam, Maximiliani hodie Bavariæ Ducis ſororem, anno CIↃ. IↃC. die XXIV. Aprilis. Quæ cùm è vivis exceſſiſſet anno CIↃ. IↃC. XVI, ſecundis nuptijs uxorem accepit Eleonoram Vincentij IV. Mantuæ Ducis filiam. Ex prima liberos aliquot ſuſcepit, ex ſecundâ nullos. Exercuit illum totâ vitâ vis quædam adverſæ fortunæ, ſed Deum ſemper adjutorem ſenſit, & hoſtibus omnibus ſuperior evaſit. Contra Turcas in

cas in Croatiâ Marte minùs ſecundo pugnavit, cùm intenſum nimis frigus ſæviret. Veneti illum, cùm tantum Styriam, Carinthiam, Carniolamque poſſideret, alieno tempore ac de bello nihil cogitantem, valido inſtructoque exercitu aggreſſi ſunt. Sed inter belli hujus pericula, agente Matthia Cæſare, cedentibuſq; ultrò, Maximiliano Albertoque Archiducibus ejus patruelibus, anno CIↃ. IↃC. XVII. Bohemiæ Proceres illum tamquam Ferdinandi Regis & Annæ Reginæ, nepotem legitimumque hæredem Pragæ Regem proclamarunt, ſalutarunt, coronarunt; ac tandem pace ſopitum cum Venetis eſt bellum. Hungari quoque paulò pòſt, Regem illum poſtularunt. Quo tempore cùm nuntiaretur Bohemos fidem exuiſſe ac Ferdinandum repudiaſſe, jamque fideliſſimos ejus miniſtros Comitem Guilielmum Slavata, Comitem Jaroſlaum à Martinitz, Philippum Fabricium regno à Secretis, ex Aulæ Pragenſis feneſtrâ præcipitaviſſe, denique etiam Fredericum Palatinum in Bohemiæ Regem elegiſſe, manſerunt tamen conſtantes Hungari, & Ferdinandum Presburgi Divi Stephani diademate coronarunt; etſi paulò pòſt etiam defecerint. Anno CIↃ. IↃC. XIX. mortuo Matthiâ Cæſare, cùm indicta eſſent novæ electionis Comitia Francofurti, quamquam Bohemi agerent, ne in Collegium Electorum Ferdinandus admittere-

 tur,

tur, neve ſuffragij jus haberet, Hungaria deficeret, Auſtria cæteræque provinciæ nutarent, attamen Electorum Principum ſuffragijs, adeóque etiam Frederici Palatini, Cæſar declaratus, XXVIII. Auguſti, & Imperiali diademate coronatus fuit, die nona Septembris. Erupit mox in apertum bellum armata rebellio Bohemorum, junctis Hungaris, ſed divinâ adjutus ope Ferdinandus Henricum Matthæum Turrianum inprimis Viennenſem obſidionem deſerere coëgit, cives hæreticos compeſcuit, & Palatinum Pſeudo-Regem, primo à Praga lapide in Albo monte, profligavit, inque fugam extra regnum conjecit. Pugnaverunt hic pro Cæſare Maximilianus Bavariæ Dux, & Carolus Comes Bucquoius. Hic Dominio in Bohemiâ auctus propterea fuit, ille anno CIↃ.IↃC.XXX. Ratisbonæ in Comitijs in Palatini Electoratum eſt ſubrogatus. Sopito iſto bello, novi Hungarorum tumultus exorti ſunt Duce Betlemo Gabore, quorum exemplo ſuperioris Auſtriæ ruſtici inſurgentes multa oppida vicoſque ſolo æquarunt; quibus tandem coërcitis Ferdinandus in Daniæ Regem arma convertit, Ducibuſque Walſtenio & Tillio illum ex Sileſia alijſque Provincijs fugavit. Reſpiravit inde pauliſper Germania, bello in Italiam adverſus Mantuæ Ducē tranſlato. Recuſabat Dux clientelare ſacramentum Cæſari dicere, ubi tamen exutus Mantuâ urbe

per

per Comitem Colalto fuit, Cæſari ſe ſubmiſit, & cum pace ditionem recepit. Etſi autem tot undique bella quotidie exſurgerent, voluit tamen etiam Ferdinandus hæreditarias inprimis provincias ſuas ab hæreſi repurgare, tum Paſſavienſem Pacificationem per Imperium obſervari. Hac re turbati quidam Principes, & nonnullæ civitates Guſtavum Adolphum Sueciæ Regem in auxilium vocarunt. Inter Principes præcipuæ Saxonis & Brandeburgici partes fuerunt; inter civitates Magdeburgum abjectâ obedientiâ Cæſarem rejeçit, & quaſi ſemper intacta Virgoque ſymbolum expreſſit, in quo Virgo ſertum è floribus contextum Guſtavo Sueco porrigebat his verbis, TIBI SOLI. At aliter evenit. Nam victricibus Tillij armis paulò pòſt tota arſit & pœnas dedit. Irritatus hujus urbis exitio Guſtavus movit in interiorem Germaniam, cumque ei nemo reſiſteret, ac civitates ultrò claves ei offerrent, latè imperium ſuum extendit, potiſſimùm poſtquam ad Lipſiam Tillium profligârat. Mutatâ deinde fortunâ ad Jngolſtadium equo occiſo dejectus, atque inde recedens in illa cruentâ prope Lutzen contra Walſtenium & Papenhemium pugna tot victorijs clarus ultimâ Cæſari cum vitâ reliquit, quinque vulneribus confoſſus, XVI. Novembris anno CIↃ.IↃC.XXXII. Eodem menſe Fredericus Palatinus Moguntiæ peſte obijt. Cæterùm

auditâ Guſtavi morte gratias Deo Ferdinandus egit; de Papenhemio eadem in pugnâ occiſo vehementer doluit. Sed nondum pax fuit. Qui ſupererat Guſtavi exercitus, Saxonicis & Brandeburgicis armis auctus, adjuncto Bernardo Weimario rebellium Imperij civitatum Duce, Imperium Bohemiamque non parum concuſſit. Majus verò periculum fuit ab Alberto Walſtenio ſummo Cæſarei exercitus Imperatore, qui ad Bohemiæ coronam aſpirans in Cæſaris & totius Auſtriacæ familiæ perniciem clam conſpirarat. Propoſitum illi erat Regiam Ferdinandi Aulam Viennæ incendijs diſtringere, incolas illi fidos confodere, nullum, ne minimum infantem ex Auguſta illa gente relinquere, belli Duces, quos poſſet, in ſuas partes attrahere. Verùm detectâ tam ſceleratâ conjuratione anno CIↃ. IↃC. XXXIV. die XXV. Februarij in urbe Ægrâ Walſtenius ab Ebroxio Centurione Hiberno confoſſus fuit, occiſis priùs inter cœnandum quatuor legionum Præfectis Terſchio, Kniskio, Illo, Neumanno, quos Leſlæus Scotus, & Butlerus Hibernus morti deſtinarant. Poſtridie in Walſtenij auxilium advenerat Franciſcus Albertus è Saxonum Ducum familia, qui Ægræ captus, Viennam, inde Neoſtadium captivus abductus, pace tandem cum Saxoniæ Duce & Brandeburgico conſtitutâ libertati reſtitutus eſt. Poſt mortem Walſtenij

Cæſar

Cæſar filium ſuum Ferdinandum Hungariæ Bohemiæque Regem exercitui ſuo præfecit. Is Ratisbonam primo militiæ rudimento cinxit occupavitque, deinde anno CIↃ. IↃC. XXXIV. VI. Septembris, ad Nortlingam profligatis Suecis ſub Hornio, alijſque hoſtibus ſub Bernardo Weimarienſi, glorioſiſſimam victoriam reportavit. Adfuerunt in auxilijs Ferdinandus Infans Cardinalis cum Hiſpanis, Italis, alijſque, & Carolus Lotharingiæ Dux. Nihil aliud Ferdinando Cæſari in votis reſtabat, quàm ut filium Romanorum Regem cerneret. Cujus voti cùm compos factus eſſet anno CIↃ. IↃC. XXXVI Decembris XXII. die in publicis Ratisbonæ Comitijs, ubi ſenſit morbo ſe corripi Viennam properavit, ibidemque die decimâ quintâ Februarij ineunte anno CIↃ. IↃC. XXXVII. pijſſimus Imperator è vivis exceſſit. Cadaver poſt ſolemnia juſta Grætium delatum apud priorem uxorem quieſcit. Superſtites liberos reliquit, Ferdinandum Tertium hodie Imperatorem; Mariam Annam Maximiliano Bavariæ Duci anno CIↃ. IↃC. XXXV. XV. Julij nuptam; Cæciliam Renatam, quæ Uladiſlao Poloniæ Regi anno CIↃ. IↃC. XXXVII. deſponſata fuit, denique Leopoldum Guilielmum Archiducem, ſupremum hodie Cæſarei Exercitus Ducem, Teutonici Ordinis Magiſtrum, Paſſavienſem & Olomucenſem Antiſtitem. De virtutibus hujus Ferdinandi

dinandi II. Cæſaris, cùm eæ conſcriptis voluminibus publicæ luci ſint datæ, nihil dicendum hic videtur.

De FERDINANDO III. *Imp.*

FERDINANDVS III. Grætij natus eſt die undecima Julij anno CIↃ. IↃC. VIII. Inſtructorem habuit virum Clariſſimum & inſignem Juriſperitum Schiller, qui Viennæ anno CIↃ. IↃC. XXXV. extremum diem obijt. Artes, Philoſophiam & Matheſim ſub Patribus Societatis didicit. Supremus verò Aulæ Præfectus & morum informator datus illi Comes Thun, Melitenſis Eques, magnæ vir prudentiæ, cui mortuo ſucceſſit Comes à Trautmandorf. Parente Cæſare ultrò cedente anno CIↃ. IↃC. XXV. Hungariæ Rex inauguratus, & & biennio pòſt Bohemiæ. Auſtriacæ provinciæ eodem tempore ſacramentum illi dixerunt, & in Archiducem receperunt, cùm ad ſacramentum excipiendum delegaſſet Principem Udalricum ab Ehgenberg. Anno deinde CIↃ. IↃC. XXXI menſe Februario nuptias Viennæ celebravit cum Maria Philippi IV. Hiſpaniarum Regis ſorore, acceptis pro dote quingentis aureorum ſcutorum millibus. Ex hoc matrimonio natus illi filius Ferdinandus Franciſcus VIII. Septembris, ipſo Natalis Deiparæ Virginis die, anno CIↃ. IↃC. XXXIII. Anno ſequenti detectâ oppreſſa-

preſſaque Walſtenij Ducis proditione, ut periclitanti Imperio ſubveniret; à Cæſare exercitus Dux declaratus arma ſuſcepit, & Galaſſium ſibi vicarium ſubſtituit. Eodem anno Ratisbonam fortiter obſeſſam ſtrenueque oppugnatam die XXVIII. Julij certis legibus Cæſaris poteſtati ſubjecit. Inde Nortlingam arctiſſimâ obſidione cinxit, ad quam liberandam cùm copiæ hoſtium omnium confluerent, non priùs confligere ſtatuit, quàm adeſſet affinis ejus Ferdinandus Hiſpaniarum Infans, qui à fratre Rege per Italiam Germaniamque ad Belgij gubernacula cum viginti quatuor millium exercitu mittebatur. Hunc Paſſavio venientem, ubi ſororem ſuam Mariam Reginam ſalutârat, omnium applauſu pompaque gratulabundus excepit, & dextrum illi latus, quamquam recuſanti, ceſſit, quòd tanti Regis filius & frater, quòd hoſpes, quòd Cardinalis. Hujus exercitui ſuũ adjunxit, & cùm hoſtes ultrò prælĩu offerrent, die VI. Septembris in aciem duo Ferdinandi deſcenderunt, Anceps diu pugna Marſque dubius, donec novis animis Hiſpani Italique hoſtes penitus profligarunt & Cæſari victoriam ſæculis omnibus memorandam pepererunt. Venerunt in manus victorum Hornius, Cratzius, alijque quàm plurimi Duces, nec alia hoſtium fuga, quam continua clades fuit. Inter pugnandum æneæ machinæ globus unus utrumque Ferdinandum præter-

Prætervolans Ajacem Legionis unius Præfectū Italum adſtantem in Principum oculis occidit, nec illi tamen proptereà à fatali iſto loco receſſerunt, ne ſuis animos adimerent. Partâ victoriâ nihil Nortlinga de pertinaciâ remiſit, adeòque novo opus aſſultu fuit, quem ſuſtinere cùm non poſſet, triumphantis Regis poteſtati ſe ſubmiſit, obtentaque venia promeriti excidij fatum avertit. Cautiùs Virtembergenſis Ducatus egit, aliæque plurimæ urbes, quæ clementiam Ferdinandi, quàm arma experiri factâ deditione maluerunt. Hanc victoriam Rex Deiparæ Virgini acceptam tulit, ac propterea eidem mox in Æde Lauretana pretioſiſſimum donum appendit. Altero poſt anno cum Saxone pax concluſa, Ulma & Norimberga Cæſarem agnoverunt, quarum exemplum ſecuta eſt Frankendalia; aliæ deinde urbes contra Francos munitæ. Tandem Ratisbonam ad Imperialia Comitia à patre Electoribuſque vocatus, XXII. Decembris Romanorum Rex renuntiatus, & ultimâ menſis ejuſdem coronatus, anno CIↃ. IↃC. XXXVI. Ejus uxor quoque Maria VI. Januarij ſequentis anni Romanorum Reginæ coronam accepit. Quatuor hic videre erat vertices coronatos, duorum Ferdinandorum, Eleonoræ & Mariæ. Tantam lætitiam turbavit paulò pòſt Ferdinandi Cæſaris mors, propter quam paratos ſibi applauſus novus Cæſar cùm Viennam rediret, inhibuit.

inhibuit. Erit hoc fortaſſis omen, quod aliquando tandem Germaniæ luctum in lætitiam, & bellum in pacem convertet. Faxit Deus, & proſperis initijs ultimam felicitatem adjungat.

CAPVT VIII.

De Linea Carolinâ Archiducum Auſtriæ, qui in Hiſpania regnarunt, & etiamnum regnant.

CVm Carolus V. Imperator Auſtriam, aliaſque hæreditarias in Germania provincias, in fratrem ſuum Ferdinandum Primum tranſtuliſſet, Belgium verò, Hiſpaniam, aliaque regna ſibi retinuiſſet, factum eſt, ut Auſtriaca familia in duas ſtirpes ſeu lineas divideretur, videlicet in Carolinam, & Ferdinandéam. Ex hac Ferdinandêâ extiterunt illi Cæſares, de quibus ſuperiori capite dictum. Ex Carolinâ autem Reges illi & Principes, qui ad hæc uſque tempora Hiſpaniam tenuerunt, tenentque, de quibus nunc aliquid reſtat dicendum.

De PHILIPPO II. *Hiſpaniarum Rege.*

PHILIPPVS II. Patre Carolo V. Imperatore, matre Iſabella Emanuelis Luſitaniæ

niæ Regis filiâ natus eſt anno CIƆ. IƆ. XXVII. die XXI. Maij in urbe Ualliſoleti. Quo tempore cùm tota Hiſpania lætitiæ indulgeret, certior factus Carolus parens de occupatâ per ſuos Româ, captoque Pontifice Clemente Septimo, lætitiam inhibuit. Vxor illi prima fuit Maria Joannis tertij Luſitaniæ Regis filia, ex qua filium unum Carolum ſuſcepit, cujus nativitas matris mors fuit, & hæc filio malum omen. Viſus hic fuit ab Auſtriacorum Principum indole degeneraviſſe. Secunda Maria Angliæ Regina, Henrici octavi & Catharinæ Aragonicæ, à Rege poſteà repudiatæ, filia, ex qua nulli fuere liberi. Tertia Eliſabetha Henrici ſecundi Galliæ Regis filia, quæ illi Jſabellam, Claram Eugeniam, & Catharinam Carolo Emanueli Duci Sabaudiæ poſtea nuptam, peperit. Quarta Anna Maximiliani ſecundi Cæſaris filia, ex qua Philippus tertius extitit regnorum omnium poſtea hæres. Item Ferdinandus & Didacus, qui ante patrem obierunt. Porrò anno CIƆ. IƆ. LV. evocatus ex Anglia in Belgium à patre, VII. Cal. Novembris in pleno Ordinum conventu Bruxellæ Belgicas omnes provincias, reſignante eodem patre Carolo, ſuſcepit cum Burgundia, & paucos poſt dies regna omnia Hiſpaniæ, Italiæ, Indiarum, & quidquid tandem ille poſſidebat. Erant tunc pactæ quædam induciæ cum Henrico II. Galliæ Rege ad

quin-

quinquennium, ſed exacto vix anno uno à Gallo violatæ ſunt, inſtigante Paulo IV. Et quidem in favorem hujus Pontificis Henricus Rex Guiſium Ducem magno cum exercitu in Italiam ad occupandum Neapolitanum regnum miſit. Cui Philippus Albanum Ducem cum XV. equitum, & LX. peditum millibus oppeſuit. Eodem tempore Galli in Arteſiam eruperunt populabundi, & Philibertus Emanuel ſupremus in Belgio armorum Dux in Galliam cum Lamoralio Egmondano Comite, memorabilemque illam ad S. Quintinum in Veromanduis victoriam Auguſto menſe, S. Laurentij die, anno CIↃ.IↃ.LVII. reportavit, Vervinum diripuit, multiſq; cladibus ad eas anguſtias Gallum redegit, ut ex Italia revocare Guiſium re infectâ debuerit, ne proprium regnum perderet, dum alienum rapere deſiderat. Iterum verò cæſi Galli magnâ ſtrage ad Gravelingam fuerunt. Anno CIↃ.IↃ.LIX. III. Non. Aprilis pax tandem cum Henrico Rege Cambreſij facta, cujus legibus Franci quidquid in Italia, quidquid in Sabaudia, Luxemburgenſi Ducatu, Pedemontio, Monferrato, & Italia invaſerant, deſeruerunt, hocq; modo Francicis armis liberata Italia fuit. Rex Philippus Henrici Regis filiam Eliſabethã uxorem accepit. Fuerat hoc bellum à Carolo V. relictum filio Philippo, qui unum ſuis auſpicijs & ſuo jure in Luſitaniam ſuſcepit, regnum-

que

que illud ad ditiones ſuas eodem Albano Duce adjunxit. Tumultum deinde Aragonicum ſopivit. Rebellionem Maurorum Granatenſium ſedavit. Anno CIↃ. IↃ. LXXII. Pontifici & Venetis confœderatus Turcas ad Echinadas Inſulas, Duce Joanne Auſtriaco, prælio vicit. Nulla umquam Turcarum Imperio gravior pugna fuit. Cùm autem Melitam Inſulam Solymannus centum ſexaginta & octo triremium claſſe pertinaciſſimè oppugnaret, cum eo Garſia Duce manus conſeruit, & cæſis ſupra viginti tribus Turcarum millibus, Inſulam obſidione liberavit. Erat iis temporibus Arx Pevolenſis in Africa Chriſtianorum navigationibus infeſta, commerciaque impediebat; ſed genio loci invicta credebatur. Illam tamen Philippus eodem Garſia Toletano Duce cinxit, oppugnavit, pauciſſimiſque ſuorum deſideratis, breviſſimo tempore expugnavit, ſicque commercia mundo reſtituit. Anno CIↃ. IↃ. LXXXVIII. expeditionem navalem contra Anglos & rebelles Belgij provincias ſuſcepit tantâ claſſe, ut per eam ſubjici poſſe univerſus orbis videretur. Quippe in ea navium triremiumq; numerus pænè innumerus; commeatus copioſiſſimus, genus omne armorũ. Paulò pòſt inter Angliam Franciamq; ludibrium facta ventorum tota tempeſtate deijcitur. Id ubi nuntiatũ Philippo Regi fuit, nec excanduit, nec exclamavit, id tantùm ſedato conſtantique

animo

animo dixit, Non iſtã claſſem adverſus ventos, procellas, & tempeſtates, ſed adverſus Religionis Catholicæ hoſtes miſeram. Adeò verò defendendæ Religioni intentus erat, ut, poſthabitis ſuis in Belgio rebus, provinciam Colonienſem contra Truchſeſium hæreticum ſocioſque propugnârit, & ſacram Procerum in Francia Catholicorum unionem contra Navarræum defendendam ſuſceperit, & defenderit, donec ille Religionem Romanam ſuſcepit. Ejus regni tempore Rebellio Belgicarum provinciarum evenit;cujus initio cùm quidam Proceres Religionis libertatem ab eo poſtulaviſſent, quòd aliter ſalva Reſp. eſſe non poſſet, Moriar, inquit, potiùs, quàm hæreſim admittam; nec nomen, nec conſcientia patitur, nec præſtitum à me juſjurandum permittit. Refert Petrus Matthæus aliquando eum dixiſſe, Si eveniret umquam, & filius meus hæreſim amplexus ab Eccleſia Romana deficeret, ligna, quibus ille concremaretur, ultrò ipſe ſubminiſtrarem. Pius V. eum publicæ pacis & Eccleſiæ fulcrum appellabat. Gregorius XIII. ejus incolumitatem Reipubl. Hiſpaniæ neceſſariam eſſe dicebat. Clemens Octavus, auditâ ejus morte, magna, inquit, Religionis Orthodoxæ columna cecidit. Paulò ante mortem Iſabellam filiã ſuam Belgis Principem, Alberto nepoti uxorem dedit. Obijt autem XIII. Septembris an. CIƆ. IƆ.LXXXXVIII.
G ætatis

ætatis anno LXXII. nullos non morbos & dolores incredibili patientiâ ante obitum expertus.

De PHILIPPO III. *Hiſpaniarum Rege.*

PHILIPPVS III. Philippi II. ex Anna Auſtriaca quarta uxore filius unicus ſuperſtes, ſtatim à patris obitu regnorum omnium poſſeſſionem accepit. Natus erat Madriti XIV. Aprilis CIↃ. IↃ. LXXVIII. Anno autem CIↃ. IↃ. XCIX. Margaretam Auſtriacam, Ferdinandi II. Cæſaris ſororem, uxorem duxit. Ex ea ſuſcepit Philippum IV. hodie Hiſpaniarum Regem, Annam Auſtriacam Franciæ Reginam, Ludovici XIII. conjugem; Mariam Imperatricem Ferdinandi III. uxorem; Carolum Infantem, qui ex febri obijt Madriti anno CIↃ. IↃC. XXXII. Ferdinandum Infantem Cardinalem Belgij & Burgundiæ Gubernatorem, Bruxellis anno CIↃ. IↃC. XLI. mortuum. Hos liberos ſibi ſuperſtites reliquit; Regina verò partu Alphonſi Mauritij è vivis exceſſit. Inter res ab eo geſtas hæc præcipua eſt. Mauri religione Turcæ, regna Granatæ, Murciæ, & Andaluſiæ, ferè ſoli tenebant, & Turcico Imperio, extinctâ Catholicá Religione, ſubijcere cogitabant. Erant autem novies centena hominum millia. Varia

Regi

Regi ad eos extirpandos conſilia ſuggerebantur, ut igne & gladio adverſus eos uteretur, ut exilio mulctaret, alij aliud; ipſe edictum condit, jubetque promulgari, nimirum ut intra triginta dies regno omnes excederent, tamquam Religionis Catholicæ hoſtes, & Regi perfidi, ſub capitis & bonorum amittendorum pœnâ. Interea exercitum ex Italia evocat, viaſque, per quas tranſituri erant, militibus munit. Potentioribus inter eos exilium mandat, ut cùm hi mandato parerent, cæteri abirent. Paruerunt illi mandato, hi ſecuti ſunt. Sic uno decreto Maurorum gentem Hiſpaniâ Philippus expulit. Adeò ſe Regem non exiſtimabat, niſi pro Eccleſia Rex eſſet. Vnde ſtatim à morte patris, opes ſuas Clementi Octavo Pontifici pro Religionis Catholicæ conſervatione per Legatos obtulit, devovitque. Anno CIↃ. IↃC. IX. ejus auſpicijs induciæ duodecennales cum provincijs Belgij rebellibus initæ ſunt; anno autem ſequenti Richam, vulgò la Rache, potentiſſimum Africæ propugnaculum, à majoribus fruſtrà tentatum expugnavit. Tandem die XVIII. Martij anno CIↃ. IↃC. XXI. vitam cum morte commutavit, cùm quatuor annis antè, nimirum anno XVI. ejuſdem ſæculi, à ſingularum provinciarum Ordinibus datâ acceptaque fide, Belgarum Princeps, Alberto Auſtriaco patrueli & ſororio ſuo ſucceſſurus, inauguratus eſt.

De PHILIPPO IV. *Hiſpaniarum Rege.*

PHILIPPVS IV. filiorum Philippi III. natu maximus, qui aliàs Victor, Dominicus, dicitur, natus eſt Valliſoleti anno CIↃ.IↃC.V. die VIII. Aprilis. Huic decem annis poſt Eliſabetha Henrici IV. Franciæ Regis filia deſponſata fuit. Mortuo patre regnorum omnium gubernacula ſuſcepit, & intimum ſibi Gaſparum Guſmannum Comitem Olivarium, ac Ducem poſtea S. Lucar creatum, regimini regnorum præfecit. Ejus auſpicijs viribuſque anno CIↃ.IↃC.XXXVIII. Fontarabia Cantabriæ civitas à Gallis obſeſſa cum inſigni eorum clade liberata fuit, cujus rei memoria quotannis Madriti in feſto Nativitatis Deiparæ Virginis die VIII. Septembris celebratur. Multa alia ejuſdem auſpicijs in Belgio geſta, de quibus in Belli Belgici Hiſtoriâ. Ea verò infelicitas ejus tempore accidit, quòd Catalauni, Luſitanique jugum ipſius excuſſerint; atque illi quidem Francorum patrocinium implorarint, hi verò novum ſibi Regem Bragantiæ Ducem adſciverint. Filiũ unum habet Carolum Balthaſarum, & filiam unam. Faxit Deus, ut de hoſtibus ſuis triumphet. Hanc laudem ſummæ pietatis nulla illi oblivio eripiet, quòd cùm intellexiſſet auguſtiſſimum Altaris Sacramentum à Francis Bataviſque in

urbis

urbis Thenenſis excidio pedibus conculcatum, & turpiſſimo affectum ludibrio eſſe, Ego, inquit, Sacroſanctum Salvatoris noſtri Corpus ſublimiùs extollam, quam impijſſimi hoſtes noſtri depreſſerunt. Mox totâ Hiſpaniâ ſupplicationes indixit, quibus tantâ, quantâ fieri pompâ poſſet, Sacroſancta Euchariſtia, comitante populo, circumferretur. Satisfactum Regis deſiderio & mandato fuit.

FINIS.

CENSVRA.

IN hac Hiſtoria Auſtriaca NICOLAI VERNVLAEI nihil eſt quod fidei Orthodoxæ aut Chriſtianis moribus adverſetur. Quamobrem prælo mandari & in lucem mitti poterit. Dat. Lovanij die 20. Maij 1651.

JACOBVS PONTANVS S. Theol. Doctor ac Profeſſor & Librorum Cenſor.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE